

DISPUTATIO THEOLOGICA
De
RELIQUIIS
CHRISTI ET SAN-
CTORUM EARUMQUE
CULTU,

QUAM
FAVENTE SUMMO NUMINE
 SUB PRÆSIDIO
VIRI

PLUR. REVERENDI, AMPL. ET EXCEL-
LENTISSIMI
 DN.

SEBASTIANI NIEMANNI,
 SS. THEOL. D. EJUSDEMQUE IN HAC
 ALMA SALANA PROF. PUBLICI LONGE CELE-
 BERRIMI, DN. PATRONI, PRÆCEPTORIS
 ATQUE HOSPITIS SUI ÆTATEM
 COLENDI.

Publice Eruditorum disquisitioni sistit

JOACHIMUS MEINIKE,
 LUNÆBURGENSIS.

Add. Maji, Anno M. DC. LXVI.

IN AUDITORIO THEOLOGORUM.

J E N Æ

Typis JOHANNIS WERTHERI.

V I R O
M A X I M E R E V E R E N D O , A M P L I S S I M O
A T Q U E E X C E L L E N T I S S I M O
D N .

SEBASTIANO GOTHO-

FREDO Starcken/SS. THEOL.
DOCT. CELEBERRIMO

ECCLESIAE FREIBURG. PASTORI
PRIMARIO, EJUSDEMQUE AC VICINARUM
SUPERINTENDENTI VIGILANTISSIMO, CON-
SISTORII ECCLESIASTICI ADSESSORI
GRAVISSIMO,

D N . P A T R O N O , P R O M O T O R I A T Q U E E V E R -
G E T A E S U O P A R E N T I S L O C O H O N O -
R A N D O , C O L E N D O .

In
*debita observantia atq; grati animi
tesseram,*

Theologicum hocce gymnasium eâ, quâ par est,
observantiâ offert

EJUSQUE

Ulteriori Patrocinio ac Favori se studiq;
sua commendat

AUTOR ET RESPONDENS.



C. B. D.

PRÆLOQUIUM.



I abusus, qui post Christum na-
 tum pedetentim in Romanam irrepse-
 runt Ecclesiam, altâ mecum mente per-
 pendo, cœcitatem atq; malitiam homi-
 num non solùm miror, sed etiam præ-
 sentissimum illorum exitium lachrymis
 deploro, in quod se scientes volentes
 præcipitant, & rudem quoquè plebem
 specie veri cultus miserè decipiunt. Nam ne nunc dicam,
 quòd hi, qui se verum DEUM ejusq; unigenitum filium JE-
 SUM in suis templis atq; altaribus habere, ejusq; præsentia
 frui gloriantur, ac si non esset præsens, aut ipsis in angustiis
 auxilio esse non posset, absentem sanctorum opem implorant,
 ut hi bona animæ & corporis, spiritualia imprimis illa, re-
 missionem peccatorum, augmentum gratiæ, sanctificationis,
 victoriam tentationum & regnum ipsum cœlorum, ipsis dare
 velint, quod notissimæ atq; frequentes preces illarum
 formulæ satis superq; probant. Ne etiam id nunc tangam,
 quòd & imagines, res terrenas & ex materia terrena concre-
 tas fictasve, cultu religiosò afficiunt. Id tantùm cogites ve-
 lim, Lector benevole, quanta sit illorum dementia, quòd
 non solùm Sanctos & imagines, sed & Sanctorum reliquias
 religiosè colunt, osculandas spectantibus offerunt & genua
 coram illis flectunt. Atq; eò honore non solùm reliquias
 Salvatoris nostri, si verò tales habeant, afficiunt, ut crucem
 Christi, clavos, quibus crucifixus est, coronam spineam &c.
 sed & caudam asini, quò Christus vectus est, ut & lac Mariæ
 virginis, ejus crines, pectinem, indusia, vestes, pepla, Josephi
 crepidas & caligas venerantur, quin & pennam Archangeli,
 quam

A 2

quam

quam illi Diabolus in duello ex alis evulserit, ostendere non erubescunt; quid autem est simplicem plebeculam decipere atq; seducere, si hoc non est? quænam demum idololatrica sunt, si hæc non sunt? Licet autem hæc omnia ita sese habeant, ut propterea opus non sit operosè de illis agere, interim tamen, quia Adversarii hanc de reliquiis traditionem tam acriter defendere nobisq; obtrudere conantur, non abs re fore arbitror, si pro ingenii mei tenuitate paucis, prout fieri poterit, hanc de reliquiis controversiam consideravero, & quid illa in recessu habeat, diligentius aliquantò perpendero. Quod ut feliciter succedat, rogo DEUM Ter Opt. Max. ut Spiritus sui S. gratiam mihi adesse, meumque conatum promoveri, initium item, successum, finemq; optatum clementissimè præstare velit.

CAPUT I.

De

Origine & statu controversiæ.

§. 1.

Cum cultum reliquiarum, s. honorem, qui corporibus, ossibus & aliis sanctorum demortuorum reliquiis in Patu defertur, aliquantò accuratiùs considerare & quibus ille argumentis nitatur inquirere mihi animus sit, ab instituto meo non alienum fore existimo, si statim ab initio nonnulla de ejus origine prælibavero.

§. 2. Sanè, si tria post Christum natum secula nobis in memoriam revocemus atq; consideremus, reperiemus, nunquam inter Christianos quicquam de reliquiarum virtute atq; cultu, qualem Pontificii hodie non solum acriter defendunt, sed & magnâ vi nobis obtrudere conantur, constitisse; cum tamen notum sit, nullò post Christum natum tempore plures fuisse martyres, quàm primis his tribus seculis, neq; etiam Christianos unquam tantò, quantò illi, sive zelò in DEUM, sive amore in fratres flagrasse.

§. 3. Corpora Sanctorum demortuorum quidem non contumeliosè à Christianis tractata, sed potiùs in magno pretio

pretio ac honore habita, & honestâ sepulturâ in terra recon-
dita fuisse, non solum ex S. literis, sed & historia Ecclesiastica
hinc inde constat. Reliquias autem istorum in alicujus al-
taris stipitem illatas, ab Apostolo aliove fidei asservatas, vel
ad aliquem fratrem dono missas esse, nullibi legimus.

§. 4. Proto-Martyris S. Stephani *Lucas in Actis* men-
tionem facit, cujus martyriô descriptô, statim sequentia ad-
dit verba: *Curaverunt autem Stephanum viri religiosi, feceruntq;*
planctum magnum super eum: ubi ne verbô quidem indicat, re-
liquias aliquas decerptas, in altari conditas, vel aliò ad alias
Ecclesias missitatas fuisse. Mortem atq; martyrium Johannis
Baptistæ jam ante Evangelistâ *Mattheus* descripserat, quô ab-
solutô statim hæc adjungit verba: *Et accesserunt discipuli ejus, &*
sustulerunt corpus ac sepelierunt illud: abieruntq; & renunciaverunt
ÆSÛ. *Theodoritus* refert, Ethnicos sepulchrum Johannis
Baptistæ diu post mortem ejus aperuisse, ossa ejus igne com-
busisse, cinerem verò undiquaq; dispersisse. Caput ejus,
teste *Sozomenô*, Imperator *Theodosius* Constantinopolim
deduxit. Quô modô itaq; Pontificii membra D. Johannis,
inprimis verò ejus caput diversis in locis ostendere queant,
ipsi viderint.

Act. IIX, 2.

Matt. XIV,
12.

I. III. H. E.
c. 6.

I. VII. H. E.
c. 21.

§. 5. Polycarpi martyrium in epistola Ecclesiæ Smirnenfis
apud *Eusebium* accuratè satis describitur, quòd videlicet ab
hostibus occisus fuerit, quòd persecutores Christianis inter-
dixerint corpus ejus humô operire, & quòd post mortem ejus
illud exusserint. Postquam autem Christiani quæ de ossibus
ejus combustis superfuerunt acceperant, aurô & gemmis pre-
tiosiora illa quidem habuerunt, sed nullibi reperitur, quòd
quicquam de ejus ossibus asservaverint, circumgestârint, &
ad peculiarem cultum osculandum, spectandum, tangendum
ostentârint, quin potiùs locô citatô inquirunt: *ea condidimus,*
id est, sepelivimus, ubi id fieri decebat.

lib. IV. H.
E. c. 15.

§. 6. *Cyprianus* licet multas de martyribus vel ad suos
Clericos vel ad Confessores scripserit epistolas, tamen super-
stitiosi reliquiarum cultus ne verbô meminit. Requirit
quidem ille à suis Clericis Carthagine consistentibus, ut eo-

Ep. XXXVII.

rum, qui propter Christi nominis confessionem martyrium perpeffi essent, nomina annotarent, seq; tunc temporis absentem de iis certiore facerent, *ut commemoraciones, inquit, eorum inter memorias martyrum celebrare possimus; de reliquiis autem ipsorum aliquid petiisse nullibi legitur.*

Lib. VII, c.
16.

§. 7. Porro observandum, quòd in Veteri Ecclesia Christiani corpora sive ossa Sanctorum non solum reverenter, & quidem sæpe cum periculo, ut testis est *Eusebius*, sepelirent, sed etiam ad imitationem Græcorum, qui viros fortes strenuè pro patria pugnando occumbentes anniversariis laudibus honorârunt, & apud sepulchra illorum convenerunt, ut & alii ad ejusmodi virtutes incitarentur, martyrum panegyres peculiari solennitate celebrandas instituerint. *In his panegyribus certamina martyrum debitis laudibus efferebantur, memoria ipsorum gratâ prædicatione celebrabatur, coronæ ac palmæ, quibus à DEO agonotheta juxta Scripturæ promissiones donati essent martyres, gloriosè prædicabantur, ut hõc modò superstites ad futura certamina pro fide subeunda & perferenda prepararentur, excitarentur & confirmarentur, ne metu suppliciorum descerent, & confessionem abjicerent, prout has martyrum panegyres describit Chennitius.*

part. I V.
Exa: Conc.
Trid. pag.
mihi, 10.

§. 8. Constantinus etiam Magnus ad exemplum Ethnicorum, qui suorum Regum ac Principum corpora in ignobiliori loco constituta magnâ pompâ & solennitate ad monumenta nobiliora transferre solebant, reliquiarum translationes ex sepulchris obscurioribus ad loca honestiora, & quidem intentione non malâ, instituit: judicavit enim, si quis tali honore dignus esset, præ omnibus illum competere Sanctis DEI, Prophetis nimirum, Apostolis & Martyribus; quod Constantini factum statim & alii non approbârunt tantum, sed & pro virili imitati sunt, ut videre est apud *Hieronymum*, qui *Arcadium* narrat ossa beati Samuelis longo post tempore de *Judea* transtulisse in *Thraciam*, Episcopos cineres illius in serico & vase aureo portasse, populos Ecclesiarum de *Palestina* usq; *Chalcedonem* sanctis illis reliquiis occurrisse, & tantâ letitiâ, quasi presentem viventemq; Prophetam cernerent, suscepisse, adorantes non *Samuelem*, sed *Christum*, cujus *Samuel* & *Levita* & *Prophetes* fuerat.

adv. Vigilã-
tium Tom.
III. Ope-
rum.

§. 9. Non

§. 9. Non rarò etiam circa illud tempus apud martyrum monumenta miracula edita fuerunt, & quidem vel in testimonium innocentiae horum martyrum, ad quorum sepulchra hæc miracula patrata fuerunt, vel in confirmationem fidei in Christum atq; incitamentum constantiae, ne reliqui Christiani gravitate suppliciorum deterrentur & à fide deficerent, sed per ejusmodi miracula animosiores redderentur, atque ita in vera fide ad finem usq; conservarentur.

§. 10. Licet verò translationes illæ reliquiarum Scripturæ mandatò & præcedentium Seculorum exemplò destitutæ sint, quia tamen non malo animo, sed pietatis quodam zelo institutæ sunt, penitus improbandæ non fuissent, modò posteri quoq; intra hosce substitissent limites. Cæterum ut optimè cogitata plerumq; pessimè cadere solent, ita quoq; subsequen-
 tium temporum Christiani longius progressi modum excefferunt, cum illi ex translatione reliquiarum, mox earum circumgestationes, & ex martyrum panegyribus, eorum invocationem atq; cultum religiosum introduxerint, prout hæc omnia, quomodo nimirum *cum ethnicis pompis adhaerentes etiam gentiles superstitiones in Ecclesiam irrepsent*, ordine describit B. Chemnitius, qui videri potest.

loc. cit.
 pag. 16,

§. 11. Ex hisce quilibet videt, quàm lubricò fundamentò Pontificii suum de reliquiis superstruant dogma, cum nec Propheticum nec Apostolicum ritum, sed vanas Ethnicorum superstitiones sequantur atq; imitentur. Ubi & illud silentiò prætereundum non est, quòd in veteri quodam scripto, quod falsò sub *Eusebii* nomine circumfertur, de martyre quodam, quem nonnulli dicunt Romanum Diaconum Cæsariensem fuisse, memoriæ proditum legimus; nimirum cum jussu judicis lingua hujus martyris incidenda esset, fortè fortuna Medicum adfuisse, qui paulò ante ex infirmitate nomen Christi abnegaverat, is, cum parata haberet ad istam necessitatem ferramenta, jussus est crudele imperium manu suâ exequi, qui cum huic mandato resistere non posset, linguam hujus martyris, licet invitus, incidit quidem, sed eam tamen, *ut medi-*

medicamen illius delicti, quod admiserat abnegando, accepit, domiq;
sua recondidit: ut consuêrunt infirmiores, fideles tamen, honorare,
si quid à martyribus sumserint, quod factum annô Diocletianæ
persecutionis primô, sive Christi CCCII.

§. 12. Similiter & observatione digna sunt verba illa, quæ
in *Actis Andronici*, qui annô Domini CCXC, Tarsi martyriô af-
fectus est, reperiuntur, quibus Maximus Præses suæ crudelita-
tis ministros allocutus est: *Blasphemiam linguã abscindite, dentes
autẽ ejus tollite, & linguam comburite, cinerẽ facite, & ubiq; spargite,
ne de consortibus hujus impii, aut ex mulierculis aliqua colligat & ser-
vet veluti pretiosum aliquod aut sanctum;* prout verba illa *Act. An-*
ad A. D. *dronici* adducit *Baronius*. Ex quibus videre est, quòd ritus hic nò
CCXC. § 27. solùm circa CCC. demum annum initium sumserit, sed quòd
insuper etiam ethnicam superstitionem sapiat, & à nimium
sæpe religiosi mulierculis ac infirmioribus, qualis Medicus
ille fuit, Christi ex infirmitate negator, originem trahat: nam
quòd hæ mulierculæ ac infirmiores, humanò quòdam affectu
abrepti, fecerunt, id adhuc Pontificii magnò conatu imitan-
tur, dum reliquias Sanctorũ magnã diligentia non solùm ser-
vant, sed & eas colere atq; adorare non erubescunt.

§. 13. Cùm autem nomen *Sanctorum* in S. literis non
unò modò accipiatur, videndum erit, quò sensu hîc usurpe-
tur, & quinam per *Sanctos* intelligantur. Tribuitur a. hoc
nomen potissimum DEO, quippè ille solus per se sanctus est,
Es. XLI, 20. & omnia alia sanctificat, ita *Esaia* XLI, 20. dicitur: *Manus Do-*
mini fecit hoc, & *Sanctus Ismëlis creavit illud*: hinc angeli sine in-
termissione clamant: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus DEUS*
Es. VI, 3. *Zebaoth. Esaia* VI, 3. Tribuitur etiam hæc vox secundæ Trini-
tatis personæ, Messia videlicet, cùm non solùm *Sanctus San-*
Dan. IX, 24. *ctorum*, id est, sanctissimus vocetur *Daniel*. IX, 24. sed
Luc 35. & ipse Angelus illi hoc nomen dederit, dicens *Luc*. I, 35.
Propterea etiam quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius DEI.
Ita & Spiritus S. ratione efficacis suæ dicitur Sanctus, quia
nimirum fideles sanctificat atq; renovat. Licet autem DEUS
propriè & verè sanctus sit, interim tamen & quicquid DEI
est, sive quicquid DEO consecratum est, sanctum dicitur.
Hinc

Hinc non solum animata, ut homines cultui divino destinati, & sacrificia in Veteri Testamento oblata, sed & inanimata, ut templum, tabernaculum, Jerusalem &c. sancta dicuntur. Nobis jam sermo est de animatis, & proprie quidem de hominibus sanctis.

§. 14. Quemadmodum vero alias Ecclesia solet dividi in *militantem*, quæ adhuc in hac vita adversus mundum, Diabolum & propriam carnem spiritualibus armis sub Christi vexillo certat; & *triumphantem*, quæ, superatis hostibus, in cælo perpetuum cum Christo agit triumphum: ita etiam homines Sancti dicuntur, respectu habitû vel ad Ecclesiam militantem vel triumphantem.

§. 15. *Militantem* Ecclesiam quod attinet, vel in genere omnes, qui in cœtu vocatorum versantur, verbum DEI audiunt & Sacramentis utuntur, sancti vocantur, quò sensu populus Judaicus *populus sanctus* dicitur: vel magis proprie illi Deut. VII, 6. sanctorum nomine insigniuntur, qui non solum ad confortium Ecclesiæ vocati sunt, sed insuper etiam pro virili omnem navant operam, ut ἀξίως τῆς κλήσεως, quâ vocati sunt, ambulent, ac sancti sint, irreprehensibiles & inculpati. Epb. IV. 1. Col. I, 22. Et Ephel. IV, 1. hi sancti sunt tum imputativè, quatenus justitia Christi verâ Col. I, 22. fide apprehensa ipsis imputatur, qua de causa etiam Christus dicitur *ipsis factus sanctificatio*, I. Cor. I, 30. tum inchoativè, quatenus DEO *serviunt in justitia & sanctitate*, Luc. I, 74. 75. quanquã Luc. I, 74. pauci in sanctitate ista ad extremum usq; spiritum persistent, multi autem tempore persecutionis deficiant. Vel denique καὶ ἐξοχήν Sancti dici solent, qui vitæ sanctimoniâ, vel etiam miraculis aut aliis egregiis in Ecclesiam meritis inter cæteros sanctos eminent. Quò sensu Johannes Baptista, Stephanus, Marc. VI, 20. Apostoli & alii, etiam dum in vivis fuerunt, *sancti* appellati sunt. Act. VI, 5.

§. 16. Ad *triumphantem* Ecclesiam spectant, & respectu illius sancti dicuntur, qui postquam diem suum obiêre, quoad animam ex militante in triumphantem Ecclesiam translati, perpetuis ac veris cum Christo gaudiis perfruuntur; & hi iterum sunt vel *Sancti in genere*, vel *Sancti secundum excellentiam*

B

tiam

etiam ita dicti, qui præ cæteris sanctitate & egregiis factis clari fuerunt: in qua significatione nomen Sanctorum accipi videtur *Matth. xxvii, tur Matth. XXVII, 52. Et monumenta aperta sunt: & multa corpora Sanctorum, qui dormierunt, surrexerunt: ut & Luc. I, 70. & Luc. I, 70.* alibi. Nobis, cum agimus de reliquiis Sanctorum, non est quaestio de Sanctis adhuc in terra degentibus, sed de Sanctis in triumphante Ecclesia constitutis, sive de Sanctis defunctis, hisq; non omnibus, sed καὶ ἐξοχῶν ita dictis, imprimis verò illis, quos Papa Rom. canonizavit. Hos enim Pontificii in præfenti controversia *Sanctorum* nomine præcipuè intelligunt, ut videre est apud *Bellarminum*: ille enim inter *septem* honores, qui sanctis canonizatis debentur, ultimò locò & hunc e. 7. & 10. ponit, quòd eorum reliquia pretiosis iberis includuntur, & publicè honorantur, & cap. X. ubi negat, licere reliquias non canonizati hominis in templo constituere publicè honorandas, etiamsi concedat, licere eas habere & venerari, etiam aliis videntibus, modò scandalum absit. Vocantur autem Sancti defuncti sive mortui, ad ostendendum discrimen inter Sanctos, qui adhuc in hac vita nobiscum commorantur, & inter eos, qui ex hac vita discesserunt.

§. 17. Reliquias ipsas quod attinet, intelligunt Pontificii per illas omnia, quæ Christus aut Sancti, in cælum translati, in his terris reliquerunt, sive fuerint ipsorum partes, ut ossa, carnes, sanguis, dentes, capilli, ungues &c. sive res aliæ, quæ vel ipsorum propriæ fuerunt, vel aliò aliquò modò ad ipsos spectârunt.

§. 18. Dixi inter alia, ad reliquias à Pontificiis referri non solùm illa, quæ Christo vel Sanctis propria fuerunt, ut sunt vestimenta, calcei, togæ, caligæ, interulæ, crepidæ, indusia &c. sed & alia, quæ quoquò modò ad ipsos spectârunt, vel Christum aut Sanctos hocce tetigerunt. Ita inter reliquias Salvatoris nostri numerant non tantùm ejus vestes, sed etiam præsepe, in quo Bethlehemi positus est, altare itidem, in quo Christus infans Hierosolymæ sedit, sex illas hydrias, quibus usus est Christus, cum Canæ Galilææ ex aqua vinum faceret; vinum quoq; ipsum, quod ex aqua mirabiliter productum,

Am,

Tum, imò terræ particulam, in qua stetit Christus, cum Laza-
 rum à mortuis revocaret, & caudam asini, cui inequitavit
 Christus in die Palmarum. Ad reliquias Christi porrò refe-
 runt clavos, lanceam, spongiam, flagella, coronam spineam,
 & alia instrumenta inanimata & separata, quæ improbi mili-
 tes adhibuerunt in Christi Domini nostri crucifixione. Dico
inanimata & separata, quia instrumenta animata & conjuncta
 à cultu & veneratione excipiunt, quippe quæ Christum teti-
 gerunt ignominiosè ac nefariè, qualis fuit sacrilega manus,
 quæ Christo Domino alapam impegit, manus item flagellan-
 tium, crucifigentium &c. hæc enim execranda potius quàm
 adoranda existimant. Ex aliis quoq; Sanctorum reliquiis
 multa ostendunt: non enim tantum lac atq; crines Mariæ
 matris Christi, sed & indusium, pectinem ac ejus annulū pro-
 nubum inter reliquias numerant. Sed quid opus est omnes
 sigillatim adducere, cum pleræque per se notæ sint, & nobis
 quoq; sufficere possit quasdam adduxisse?

§. 19. De his reliquiis Adversarii porrò docent, & in
 specie Patres Concilii Tridentini decernunt, illas à fidelibus vene-
 randas esse. Contrà verò eos omnino damnandos esse statuunt,
 qui affirmant, Sanctorum reliquiis venerationem atq; honorem non
 deberi &c. Modum autem aut genus cultus sive venerationis,
 de quo inter ipsos Pontificios non convenit, subdolè silentiò
 prætereunt.

Sess. xxv.
 decr. de in-
 voc. vene-
 rat. & relig.
 sanct.

§. 20. *Thomas* statuit, crucem & omnia quæ sunt Chri-
 sti, v. g. clavos, indumenta, lanceam, præsepe, sepulchrum,
 quatenus contactu membrorum Christi aut perfusò ejus
 sanguine sanctificata sunt, adoranda quidem esse, non tamen
 eâdem adoratione, quâ ipsum Christum adoramus, sed aliâ
 inferioris ordinis, nempe *hyperduliâ*. Idem autem *Thomas* in
 in Summa totius Theologiæ mutatâ sententiâ existimat, illas,
 quas diximus, Christi reliquias, quantum ad rationem con-
 tactus membrorum Christi, eâdem adoratione cum Christo,
 sc. adoratione *latræ* adorandas esse.

in III. sen-
 tent. dist. ix.
 q. i. art. 2.

in Sum.
 Theol. part.
 III. q. 25,
 art. 4.

§. 21. Communis Pontificiorum sententia est, reli-
 quias esse adorandas eâdem adoratione, quæ tribuitur per-

In III. Th. sonis, quarum fuit reliquiæ. Reliquias igitur CHRISTI
 mæ quæst. DOMINI latriâ adorari debere, reliquias B. virginis
 25. disp. 113, hyperduliâ, reliquias verò communium Sanctorum duliâ.
 cap. 2. & 3. Quam reliquiarum venerationem vocant *relativam* seu *respe-*
 Tom. III. *Etiam*, quia reliquiis respectu illorum, quorum sunt reli-
 disp. VI. q. quæ, tribuitur, eamq; distinguunt ab illa veneratione, quâ
 XI. punct. reliquias per se reverenter tractant, & custodiunt, & suspici-
 VI. circa fi- unt, eò quòd sanctorum hominum (qui viva membra Christi
 nem. & lib. & Spiritus S. templum fuerunt) aut corpora sint, aut cor-
 II. de idol. pora attigerint, aut etiam extiterint partes, ut videre est
 c. IIX. In apud *Gabrielem Vazquez, Gregor. de Valentia, Petrum à S. Joseph,*
 summ. cas. & alios.

consc. c. I. §. 22. *Bellarminus* autem, qui cæteris subtilior videri
 art. 5. vult, pluribus agit de cultu imaginum, & ex iis, quæ de eo
 Lib. II. de i- differit, judicari posse ait, quinam cultus reliquiis debeatur.
 mag. Sanct. *Primò autem cap. XXI. asserit: Imagines Christi & Sanctorum co-*
 c. XXI. seqq. *lendas sive venerandas esse non solum per accidens, vel improprie, sed*
etiam per se & proprie, ita ut ipsæ terminent venerationem, ut in se
considerantur, & non solum, ut vicem gerunt exemplaris, additâ
inter alias & hâc ratione, quòd in ipsa imagine verè insit aliquid
sacrum, nimirum similitudo ad rem sacram, & ipsa dedicatio sive con-
 cap. XXII. *secratio divino cultui. Secundò cap. XXII. contendit: Quantum*
ad modum loquendi, præsertim in concione ad populum, non esse di-
cendum, imagines ullas adorari debere latriâ, sed è contrario, non de-
bere sic adorari. -- Etenim dicere populo, imaginem Christi vel cru-
cem adorandam esse latriæ cultu, illò ipsò, quò adoratur DEUS, non
caret magnò periculò: nam qui defendunt, imagines adorari latriâ, co-
guntur uti subtilissimis distinctionibus, quas vix ipsimet intelligunt, ne-
dum populus imperitus, ipsa Bellarmini eaq; observatu digna
 cap. XXIII. *verba sunt. Tertio c. XXIII. dicit, si de re ipsa agatur, admitti posse,*
imagines posse coli improprie vel per accidens eodem genere cultus,
quò exemplar ipsum colitur: Improprie quidem, quia aliquando
imago accipiatur pro ipso exemplari, & ea, quæ fierent circa
ipsum exemplar, si adesset præsens, fiant circa imaginem,
mente tamen defixâ in exemplari. Per accidens autem, & ta-
men proprie, quia aliquando consideremus exemplar, ut ob-
 jective

jectivè relucet in imagine, & ipsum sic repræsentatum & quasi vestitum imagine venerimur. *Quartò cap. XXIV.* ait: *Imaginem per se & propriè non esse adorandam eòdem cultu, quò ipsum exemplar, & proinde nul. am imaginem esse adorandam cultu latriæ per se & propriè.* *Quintò deniq; c. XXV.* addit: *Cultum, qui per se & propriè debetur imaginibus, esse cultum quendam imperfectum, qui analogicè & reductivè pertineat ad speciem ejus cultus, qui debetur exemplari.* Idq; explicat, dum dicit, *imaginibus non convenire propriè nec latriam, nec hyperdulam, nec dulam, nec ullum alium eorum, qui tribuuntur naturæ intelligenti, cum non sit capax res inanima & rationis expers ejusmodi cultuum, sed cultum quendam inferiorem & varium pro varietate imaginum.* Itaq; *imaginibus sanctorum non deberi propriè dulam, sed cultum inferiorem, qui dici possit dulia secundum quid, vel dulia analogicè sive reductivè.* Similiter *imaginibus B. Virginis non deberi hyperdulam simpliciter, sed hyperdulam secundum quid, sive analogicè & reductivè.* Deniq; *imaginibus Christi non deberi latriam veram & simpliciter, sed cultum sine comparatione inferiorem, qui tamen reducatur ad latriam ut imperfectum ad perfectum.*

§. 23. Hæc, quæ de cultu imaginum ita disputaverat, *Bellarminus in fine cap. XXV.* etiam transfert ad cultum reliquiarum Christi & Sanctorum, non obscure indicans, quantum ad cultum attinet, eandem esse rationem reliquiarum & imaginum. *Ex his habemus etiam, inquit, quid sit dicendum de vera cruce Domini, de clavis, spinis aliisque reliquiis.* *Sunt enim hæc omnia honoranda minore cultu, quam Christus, vel Sancti, quorum reliquiæ sunt, sed tamen tali, qui analogicè & reductivè pertineat ad speciem cultus, quò Christus vel Sancti coluntur: nam reliquiæ ideo merentur honorem, quia ratione contactus, vel aliquò aliò modo habitudinem habent ad eos, quorum sunt reliquiæ.*

§. 24. Quicquid autem sit de his *Bellarmini subtilitatibus*, quas itidem *populus imperitus non intelligit*, nec in praxi atterdit, certum est, Pontificios omnes in eo consentire, quòd reliquiis cultus seu adoratio religiosa conveniat. *Patres quidem Concilii Tridentini, superiori seculo vocatione habiti, superstitionis suæ dedecus vocabulorum ambigui-*

.VIX. 190
 .VXX. 190
 tate obumbrare conantur. Verba enim Concilii, prout
 antea aliqua ex parte adducta, hæc sunt: *Sanctorum quoque
 martyrum, & aliorum cum Christo viventium sancta corpora, quæ
 viva membra fuerunt Christi & templa Spiritus S., ab ipso ad eter-
 nam vitam suscitanda & glorificanda, à fidelibus veneranda esse, per
 quæ multa beneficia à DEO hominibus præstantur. Itaque affirman-
 tes, Sanctorum reliquiis venerationem atque honorem non deberi, vel
 eas, aliisque sacra monumenta à fidelibus inutiliter honorari, atque eorum,
 opis impetranda causâ, Sanctorum memorias frustra frequentari,
 omnino damnandos esse, prout jam pridem eos damnavit & nunc
 etiam damnat Ecclesia. Callidè itaque colendi vocabulum reti-
 cendo, venerandi atque honorandi voce utuntur, animadverten-
 tes, inhumanum esse, aliquem damnare ideò, quòd mortuo-
 rum hominum corpora & ossa adorare atque religiosò cultu
 prosequi detrectet; ut itaque crassum suum errorem aliquò
 modò palliant, fingunt, nos Sanctorum hominum corpori-
 bus omnem honorem denegare, id est, ea inhumata abjicere,
 quæ an ita sese habeant, & an hæc sit Nostratum sententia, ex
 sequentibus patebit.*

§. 25. Multò clariùs autem & simpliciùs mentem suam
 in III. Thò. explicat Vazquez, dicens: *Apud Catholicos VERITAS INDU-
 quæst XXV. BITATA est, reliquias Sanctorum, sive fuerint partes ipsorum, ut
 disp. CXII. ossa, carnes & cineres, sive res alia, quæ ipsos tetigerunt, vel ad ipsos
 c. 2. n. 1. pertineant, ADORANDAS & in honore sacro habendas esse. Imò
 Ibid. c. 2. cinctoria & sudaria Pauli Adorationis cultu fuisse veneranda
 n. 4. asserit, Similiter Petrus à S. Joseph l. c. postquam dixerat: Eâ-
 dem adoratione imago colitur, quâ illius exemplar -- unde imago DEI
 colitur patriâ, & Sanctorum imagines inferiori cultu, nempe aut hy-
 perduliâ, aut duliâ; hoc ita intelligendum esse addit, 1. Ut
 imago vel simul cum prototypo eòdem actu adoretur, vel adoratio ad
 eam directè terminetur, & obliquè tantùm ad exemplar. 2. Ut non
 modò signum externum interni affectus, sed etiam ipsa interna ado-
 ratio ad imaginem terminetur. 3. ut exemplar propter se adoretur,
 imago verò ratione exemplaris, adeoque adoratione tantùm respectivâ.
 Quæ autem hîc de adoratione imaginum dixerat, servatâ pro-
 portione etiam de adoratione reliquiarum ipsum sensisse
 patet*

pater ex iis, quæ mox eodem loco de adoratione reliquiarum subjungit.

§. 26. Idem de aliis Pontificiis, quos Jansenianos ca-
 teri vocant, ex scripto quodam Gallico *Dallaus* testatur, di-
 cens: *Etiam nunc apud nos illi Latinorum Theologi, quos Jansenia-*
nos ceteri vocant, & ob assertam Pauli & Augustini de DEI salutari
gratia veram, ut ille existimat, doctrinam, acerrimè oderunt, atq;
exagitant, illi, inquam, tametsi purius, & ad nostrum sensum pro-
pius de rebus divinis philosophari vulgò credantur, ipsi tamen hanc
reliquiarum venerationem ADORANDI vocabulò significare ne-
quaquam refugiunt, ne in libris quidem nostrâ vulgari Francorum
linguâ editis, in qua ADORARE multò parcius solemus quàm Latine
loquentes de cultu religioso creaturis ex Papa decretis exhibito dicere.
Hi enim miracula, quæ à sacra quadam spina apud suburbanam Por-
tus-regii Ecclesiam edita feruntur, vindicantes ab obtrectatorum
suorum calumniis, non semel sic loquuntur, ut dicant, sacram illam spi-
nam (quam ex corona Domini spinea decerptam esse jactant) ADO-
RARI. Ita de Margareta quadam sanctimoniali paralytica: De-
lata est (inquiunt) ad Portum-regium, ad sacram spinam ado-
randam, & mox scribunt, Durandi uxorem, postquam eandem
spinam ADORASSET & osculata esset, statim fuisse suâ infir-
mitate relevatam. Et, magnam vim mortalium Ecclesiam
illam suam adire spinam ADORANDAM. Item Sanctimo-
niales cum profunda veneratione spinam Dominicæ coronæ
adorare. Quin etiam in illa ipsa oratione, quam apud spinam
suam prostratos dicere fideles instituunt, eadem locutio extat: Tuam
coronam adoramus Domine. Imò Cösterus in Enchiridio de
reliquiis scribit: Ossa Sanctorum habent vim contactu suò sancti-
ficandi; & ibidem cum Basilio loquitur: Martyris ossa quisquis
attigerit, illius justitiæ sanctitatisq; quodammodo particeps, ob gra-
tiam ex eorum corporibus procedentem, efficitur. Similiter
Bellarminus: sanctificari aliquò modò eos, qui tangunt reliquias San-
ctorum, constanter docent Patres.

lib. IV. c. 1.
de religio-
si cultu ob-
jecto pag.
187.

in Ench. c.
15. p. 483.
in Pl. CXVII.
lib. II. de
imag. c. 30.

§. 27. Nostra sententia simplex & plana hæc est: Cor-
pora Sanctorum, cum templa fuerint Spiritus S. & olim ad
gloriam æternam resuscitanda, & glorioso Christi corpori
confor-

conformanda sint, nequaquam contumeliosè tractanda, sed potius honorificè sepelienda & monumentis inferenda esse. Atq; hunc honorem esse mortuorum verum ac legitimum, non tantùm praxis Ecclesiæ Veteris Testamenti confirmat, sed & nobiscum sentit primitiva Apostolorum temporibus vicina Ecclesia, ut ex supra dictis patet. Neq; solùm corpora Sanctorum honorificè tractanda, partes verò eorum, ut ossa, sive alia, quæ ipsis fuerunt, si supersint, contemtim habenda sive in sterquilinum projicienda esse statuimus, sed potius tale facientes improbamus: Est enim naturalis quædam affectio, ut, quos singulari benevolentia & amicitia prosecuti fuerimus, eorum minima etiam in ipsorum memoriam diligenter servemus, & in paucis cara habeamus. Ita de Epicteti fictili lucerna fertur, quòd tribus drachmarum millibus venierit, idq; amore in egregium illum virum: quilibet enim judicabat, magnum fore, minima etiam, quæ tanti fuerunt viri, possidere. Quotidiana insuper experientia docet, virorum excellentium, sive de Ecclesia, sive de Republica, sive alia aliqua de re bene meritorum, minima etiam, ut sunt libri, epistolæ, vestes, aliaq; minoris pretii à posteris ipsorum magni æstimari. Et tale pietatis studium nemini vitio vertimus nec improbamus, nam quicquid demum de hoc honore sit, humanum certè est, religiosum verò non est.

§. 28. His ita præmissis, status controversiæ inter Nos & Pontificios non in eo consistit, num corporibus sive reliquiis Sanctorum, si quæ supersint, aliquis honor debeat, an honestè tractandæ & terræ mandandæ, an verò insepultæ abjiciendæ, & feris atque volucris, ut ab iis dilanentur, sint exponendæ? Sed cardo hujus controversiæ in eo vertitur, an reliquiæ istæ non solùm servandæ atque honestè tractandæ, sed insuper etiam religiosè venerandæ, osculandæ, colendæ atq; adorandæ sint? De hoc enim inter nos & Pontificios controversiam esse; de eo autem, quò genere cultus & honoris seu adorationis religiosæ reliquiæ venerandæ sint, inter ipsos Pontificios solùm disputari, ingenuè fatetur

in III. Th.
disp. XIII.
c. I, n. I.

Vazquez.

CAPUT.

CAPUT II.

In quo

Vera sententia confirmatur, adductis & examinatis simul præcipuis exceptionibus Adversariorum.

§. 29.

Vidimus hæcenus, quisnam genuinus in hac materia controversiæ status sit. Antequam verò argumenta Pontificiorum, quibus illi supersticiosum reliquiarum cultum superstruere conantur, producamus, & ad veritatis lancem appendamus & exigamus, operæ pretium fortè fuerit, si breviter consideremus, quâ ratione nostra eaque scripturæ sacre & genuinæ Antiquitati conformis sententia confirmari possit. Novimus equidem in omni disciplinarum genere ab affirmante probationem suæ affirmationis expectari, negantem verò non nisi ex abundanti negationi suæ fidem facere solere; *contingit tamen* (verba B. Calixti refero) *interdum, negantes ratione redditâ ostendi posse, idque potissimum, quando affirmantes perabsurda & falsi manifesta: tum enim plerumque, qua ex opposito sunt, negantes directè concludere & evincere in promptu est.* Quod si de præsentî etiam controversia affirmaverimus, à vero fortassis non aberrabimus.

Digr. de art.
nova pag.
mihi 181.

§. 30. Sit itaque *primum* contra religiosum reliquiarum cultum argumentum.

Quicquid ne ipsis quidem Sanctis competit, id multò minùs illorum reliquiis est tribuendum.

Atqui cultus religiosus ne ipsis quidem Sanctis competit.

Ergò cultus religiosus multò minùs illorum reliquiis tribuendus est.

Major est certissima: cùm enim, docentibus Adversariis, omnis reliquiarum veneratio ab eorum honore & dignitate pendeat, quorum reliquiæ sunt, fieri sanè nullâ ratione potest, ut cultus, qui ipsis Sanctis denegatur, reliquiis illorum tribuatur, cùm Sancti ipsi reliquiis suis, quæcunque tandem illæ fuerint, multis nominibus sint anteponendi. Quodlibet

C

certè

certè totum singulis partibus longè est præstantius; animata inanimatis quantopere sunt præferenda? id, quod usum rationis habet, dignitate & nobilitate suâ illud, quod non modo ratione, sed omni etiam sensu destitutum est, omnino excedit: quid quòd ne cultus quidem civilis, qui Sanctis viventibus debetur, in eorum reliquias sine manifesta aut stoliditatis aut superstitionis nota conferri à quopiam possit: nemo quippe, præconceptis opinionibus liber, ferret eum, qui v. g. vestem viri alicujus Sancti salutatione & aliis externis gestibus honorare institueret, quin potiùs ejus sive stultitiam sive malitiam risu aut indignatione exciperet. Minorem equidem Pontificii pernegant; sed illa alibi satis superque confirmatur: hinc igitur unum vel alterum Scripturæ locum addu-

Matth. IV,
10.

xisse sufficiat. *Matth. IV, 10. Salvator noster scriptum est, inquit, Dominum DEUM tuum adorabis, & illum solum coles. Si solus DEUS est adorandus, vi enunciationis exclusivæ omnino sequitur, quòd, quicquid non est DEUS ipse, non sit adorandum, adeoque Sanctis, sive vivis sive mortuis, hic honor neutiquam competat. Conjugimus præterea cum hoc dicto factum Johannis Evangelistæ, qui cum angelum in visibili forma apparentem bis adorare vellet, bis quoque ab angelo propterea his verbis reprehenditur: ὄργην. Vi-*

Apoc. XIX,
10. XXII, 9.

de ne feceris, conservus tuus sum-DEUM adora, Apocal. XIX, 10. & XXII, 9.

§. 31. Neque est, quòd Pontificii ad Minorem hujus argumenti excipiant, & hunc, quemadmodum solent, malæ suæ causæ clypeum prætendant. Honorare est excellentiam alicujus agnoscere & existimationem dignam conservare: eum verò diversi sint excellentiæ gradus, hinc alia, inquiunt Adversarii, est excellentiâ divina & infinita, cui respondet primus cultus dictus λατρεία, estque summa voluntatis demissio & inclinatio cum apprehensione Dei, ut primi principii & finis ultimi, hoc est, summi boni. Alia est excellentia humana, quæ pendet ab hominum virtutibus, dignitatibus, gradibus &c. & huic respondet secunda species cultus, quæ dicitur observantia vel civilis cultus, & ponitur in infi-

nities

nitias minori inclinatione voluntatis cum apprehensione humanæ excellentiæ: alia denique est excellentia inter divinam & humanam media, v. g. gloria Sanctorum in cœlis, quæ quidem infra divinam est, sed supra humanam, atque hinc pendet medius cultus *δουλεία* dictus, qui divinò minor, sed humanò major est. Hic medius cultus *δουλεία* iterum juxta Pontificios est duplex: alia enim est *δουλεία* simpliciter, quam Angelis & Sanctis deferunt: alia est *ὑπερδουλεία*, quam deferunt humanæ Christi naturæ & B. virgini, Deiparæ, quæ sit Regina nostra & supra angelos elevata. Verùm hæc quidem speciosè, sed gratis finguntur: præterquam enim, quòd hæc distinctio in Scriptura S. nullum habeat fundamentum, in qua, ut alibi ostenditur, τὸ δουλεύειν & λατρεύειν promiscuè adhibetur: & quòd in genuina antiquitate ejus nulla mentio fiat, nisi quòd *Augustinus* λατρείαν à δουλεία, quamvis diversò à Pontificiis sensu, primus distinxerit; nos contra hanc distinctionem ita argumentamur. Omnis cultus vel est religiosus soli DEO debitus, vel non religiosus & civilis: quia inter DEUM & creaturas, inter creatum & non creatum medium aliquod fingere velle extremæ absurditatis est. Itaque etiam cultus, quem Scholastici *δουλείαν* & *ὑπερδουλείαν* vocant, est vel religiosus vel civilis. Si est civilis, habemus quod volumus, & non erit cultus medius inter religiosum & civilem; Si verò est religiosus, erit ipsa λατρεία, quæ soli DEO debetur, quòd Pontificii ipsi asserere non audent, sicut hæc ipsa distinctione testatum omnibus faciunt. Neque est, ut nobis adductos excellentiæ gradus opponant: nam excellentia Sanctorum vel est finita vel infinita: Si finita, uti omnino est, cultus humanus, quantus quidem creaturæ deferri potest, iis præstandus. Dicent Pontificii: Se non tantum in Sanctis beatis respicere excellentiam, quæ à naturalibus illorum prærogativis pendeat, sed etiam illam excellentiam, quæ ipsis à DEO sit concessa, unde honor plus quàm humanus iis debeat, in ordine ad hanc à DEO donatam excellentiam. Respondemus, falsum hoc est, quòd respectu excellentiæ, quæ Sanctis per gratiam DEI obtigit, majori quàm humanò cultu sint pro-

libro X, de Civit. DEI cap. I.

C 2

pro-

1525

prosequendi: nam excellentia quævis humana eò ipsò quòd in homine est, humana est, etiamsi ordinis sit supernaturalis & à DEO supernaturaliter concessa. Fides enim, spes, charitas & similia dona, quando sunt in homine, jam humana sunt. Itaque propter hanc excellentiam, ut verè jam factam humanam, majori honore, quàm humanò vel civili, colendi non sunt: cùm in omni religioso cultu is, qui alium colit, non solum agnoscat illius excellentiam supra humanam & supernaturalem, sed ei etiam excellentiæ seipsum internè subjiciat. Dicitis: negari tamen nequit, Sanctos cœlesti beatitudine perfuents, utpote de quorum sanctitate certissimi sumus, majori honore esse dignos, quàm illos, qui adhuc in vivis sunt. Respondemus, sint hæc ita, inde tamen non sequitur, quòd cultus ipsis debitus non sit merè humanus & civilis, sed mediis inter civilem & religiosum, cùm regula illa, quòd nempe magis & minus non varient speciem, notior sit, quàm ut hic urgeri debeat.

§. 32. Deniq; videri cuidam posset, *Bellarminum* totum hoc argumentum nobis concedere posse, cùm ille ita scribat: *Quis unquam Catholicorum reliquias invocavit? quis unquam auditus est in precibus aut litanis dixisse: Sancta reliquie, orate pro me? Et quis easdem unquam divinò honore affecit, vel Christi locò adoravit? Nos enim reliquias quidem honoramus & osculamur, ut sacra pignora patronorum nostrorum. Sed nec adoramus ut DEUM, nec invocamus ut Sanctos, sed minore cultu veneramur, quàm Sanctorum Spiritus, nedum quàm DEUM ipsum: Et alibi: nunquam, inquit, est auditum apud Christianos, ut aliqui Sanctorum reliquiis divinos honores detulerint.* Mirum autem *Bellarminum* adeo hospitem in suorum hominum rebus esse, ut nesciat, faciem Christi, sudario Veronicæ (ut ajunt) impressam, in oratione *Johannis XXII. Papæ* adoratam his verbis:

*Salve sancta facies nostri Redemptoris,
In qua nitet species divini splendoris,
Impressa panniculo nivei candoris
Dataque Veronicæ signum ob amoris.—
N s ab omni macula purga vitiorum
Atque nos consortio junge beatorum.—*

Nos

lib. II. de
Sanct. rel.
cap. 2.

l. c. cap. 4.

Nos dedue ad propria, O FELIX FIGURA,
Ad videndam faciem, qua est Christi pura.

Ut nesciat, in processionali Cadurcorum, qui sunt Galliae Aquitanicae populi, sudarium Christi invocatum fuisse his verbis: Sancte sudari ora pro nobis: sudarium Christi liberet nos a peste & morte tristi: Item apud eosdem Cadurcos in Abbazia Syntagm. Theol. lib. IX, cap. 24. Fontis invocata mappam, super quam dicitur Christus ceenam celebrasse, & magnò monachorum boatu cantatum fuisse: Sanctissima DEI mappa ora pro nobis, ut refert Amandus Polanus. Quid quod ipse Bellarminus negare nequit, in Ecclesia lib. II. de Pontificia ita cani de cruce: O crux ave spes unica, auge piis justitiam, reisque dona veniam. Emollire quidem ille conatur hæc verba, dum respondet, velibi accipi crucem pro ipso Christo crucifixo, vel illam esse prosopopœiam Rhetoricam, quâ Ecclesia alloquitur crucem, o modo, quò Moses alloquitur cœlum & terram, cum ait Deuter. XXXII. Audite cœli quæ loquor &c. Sed neutra responsio solida est. Non prior, quia in eodem hymno deinde dicuntur, quæ non nisi de ipsa cruce seu ligno crucis possunt intelligi, quale est illud: Sola digna tu fusti ferre seculi pretium, & rursus: Crux fidelis inter omnes arbor una nobilis &c. Nec posterior: quamvis enim per figuram prosopopœiam sæpius cum re inanimata loquamur, ineptè tamen, etiamsi figuratè, ab ea peteremus salutè & gratia augmentum, ut rectè monet Vazquez, In III. Thom. disp. CIX. eodemq; contextu figuras mavult admittere, nempe in prioribus verbis metonymiam, ut crux pro Christo accipiatur, c. 4. sicut continens pro contento, in reliquis verò prosopopœiam, quod itidem durum esse nemo non videt. Accedit, quòd idem Bellarminus reliquiis Christi & Sanctorum minorem quidem cultum tribuit, quàm Christo vel Sanctis, quorum reliquiæ sunt, sed tamen talem, qui analogicè & reductivè pertineat ad speciem cultus, quò Christus vel Sancti coluntur: nempe reliquiis Christi tribuit latriam secundum quid, sive, latriam analogicè sive reductivè, reliquiis B. virginis Mariæ & epistoleiæ secundum quid, sive analogicè & reductivè; reliquiis verò aliorum Sanctorum δελαίαν secundum quid, sive analogicè & reducti-

lib. II. de i-
mag. Sanct.
cap. 25.

ductivè. Sed non potest Bellarminus ostendere, quid sit v.g. *latria secundum quid, analogicè & reductivè*, quænam sit ejus entitas, qua in actione consistat propria ejus ratio, & quomodo quis in praxi eam à latria vera & simpliciter tali debeat discernere, ne fortè *latriam secundum quid, analogicè & reductivè* reliquias Christi veneraturus, iisdem per errorem *veram latriam* tribuat, quæ ipsi Christo competit, præsertim cum ipse *cap. XXIV.* admittat, *esse eundem motum etiam voluntatis in imaginem & exemplar.* Et, si vera idololatria est, cum quis reliquiis per se & propriè exhibet cultum latriæ, ut concedit Bellarminus *l. c.* quid vetat, quò minùs ad imitationem Bellarmini dicamus, esse *idololatriam secundum quid, analogicè & reductivè*, quando quis reliquiis, Christi sc. per se & propriè exhibet *latriam secundum quid, analogicè & reductivè?*

§. 33. Alterum argumentum contra vanam Pontificiorum superstitionem hoc esto:

Quicumque cultus & mandatò & exemplò Scripturæ S. destituitur, ille est rejiciendus.

Cultus reliquiarum & mandatò & exemplò Scripturæ S. destituitur. Ergò

Cultus reliquiarum est rejiciendus.

Major suâ radiat luce: Minor tandiu certa permanet, donec Pontificii cultum reliquiarum ex scripturis *ἱεροπνεύστοις* firmiter nobis probatum dederint, vel exemplum quoddam ex iisdem protulerint, quod quàm infeliciter illi hætenus tentârunt, ex sequenti capite patebit. Tantùm autem abest, ut firma quædam probatio ex scripturis expectanda sit, ut potius contrarium ex praxi piorum, cum veteris tum Novi Testamenti, elucescat. Quid quòd ipse DEUS exanime Mosis corpus sepeliisse legatur *Deut. XXXIV, 6.* & sepulchrum ejus ignotum esse voluerit, non facturus procul dubio, si alius honor corporibus Sanctorum piè defunctorum deferendus, extra honestam sepulturam, ipsi placeret. *Ecclesiastici* certè *XXXVIII. 16.* qui liber ex decreto Concilii Tridentini Bellarmino canonicus est, hæc habentur: *Fili super mortuum produc lacrymas, & quasi dira passus incipe luctus. Secundum autem judi-*

cap. 24.

ob. II. di.

162. gemi

162. 05. 0

Deut.

XXXIV. 6.

Ecclef.

XXXVIII.

16.

dici-

dicimus illius contage corpus ejus & non despicias sepulturam illius.
 Ubi honor corporibus mortuorum debitus in sepultura, non
 in asservatione, exosculatione & aliis ritibus in Papatu usi-
 tatis collocatur.

§. 34. Negabunt fortè Pontificii Majorem in hoc no-
 stro argumento, quippe quibus solenne est, Scripturas S.
 imperfectionis & insufficientiæ accusare, eisq; putidas suas
 traditiones affuere, *quas Synodus Tridentina tota Ecclesia Decret. I.*
Pontificia tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tanquam vel *less. 4.*
oretenus à Christo vel à Spiritu S. dictatas, & continuâ successione in
Ecclesia Catholica conservatas, pari pietatis affectu & reverentiâ
suscipit & veneratur, ac ipsam Scripturâ divinitus inspiratam.
 Cæterum traditiones non-scriptæ, quæ contineant dogma-
 ta fidei & morum, de quibus Scriptura S. prorsus tacet, tan-
 quam *pandecta errorum & superstitionum* dudum à Nostris re-
 jectæ & solidissimis fundamentis expugnatae sunt, unde per
 illas nostro argumento nihil decedit, & propterea operosam
 refutationem hîc instituere nihil attinet. Audiamus saltim
Irenæum, quodnam ille de hujusmodi traditionibus ferat ju- *lib. III. c. 23*
 dicium: *Cum ex Scripturis, inquit ille, arguuntur, in accusatio-*
nem convertuntur ipsarum Scripturarû, quia variè sint dictæ, & quia
non possit ex his inveniri veritas ab his, qui nesciant traditionem:
non enim per literas traditam illam, sed per vivam vocem, ob quam
causam & Paulam dixisse: sapientiam autem loquimur inter per-
fectos, sapientiam autem non mundi hujus. Quid magis conve-
 niens in Pontificios dici poterat, quàm quod verbis adductis
 de hæreticis sui temporis *Irenæus* asserit? Pontificiis igitur
 traditiones non-scriptas immodicè jactantibus occinimus
 verba *S. Augustini*: *Non invidemus alicui. Legite nobis hoc de*
Lege, de Prophetis, de Psalmis, de ipso Evangelio, de Apostolicis literis:
LEGITE ET CREDIMUS. *Quod enim de Scripturis autorita-*
tem non habet, judice Hieronymo, eadem facilitate contemnitur,
quâ probatur.

§. 35. Quod verò ad exemplum *Mosis* ejusq; sepultu- *Lib. II. de*
 ram attinet, ad illud *Bellarminus* ita excipit: *Probabile est, quod* *reliq. Sanct.*
scribit Chrysostomus homil. 5. in Matth., occultatum fuisse Mose se- *cap. 4.*
pulcrum

pulcrum, ne à Judæis coleretur pro DEO. Ast hoc ipsum est, quod volebamus: quia igitur DEUS occultavit sepulchrum Mosis, ne Judæi ejus occasione in idololatriam prolaberentur, reliquiarum etiam Sanctorum erant honestâ sepulturâ occultandæ, non verò imperitæ multitudini ad cultum ostentandæ, ne & illi reliquias religiosè colant, & per cultum reliquiis præstitum, se gratum DEO cultum exhibere falsò sibi persuadeant. Prævidit hoc ipsum Jesuita, unde paulò post sibi metipsi objicit: *Idem periculum est nunc in reliquiis aliorum Sanctorum: & respondet, falsum hoc esse: nam, inquit porrò, populus Judæorum eò tempore propensissimus erat ad idololatriam, ita ut etiam vitulos aureos coleret; Unde post captivitatem Babylonicam, quia populus ille non ampliùs coluit idola, videmus DEUM illustrasse sepulchrum Esaiæ, Ezechielis, Hieremiæ, Helisæi, Abdiæ & aliorum multis miraculis, & gratum habuisse cultum, qui ossibus eorum exhibebatur, ut Epiphanius & Hieronymus tradunt.* Quam responsionem cum

in Bell. vin-
dic. Tom.
II. lib. VI.
§. 3. respons.
ad arg. I.

Lib. II. de
Imagin.
Sanct. c. 22.

Jesuita Erbermannus optimam vocet, diligentius hîc considerabimus. Et I. quidem non falsum, sed verissimum est, *idem* (nempe idololatriæ) *periculum nunc esse in reliquiis*: Reliquiarum enim in Papatu honorandæ & colendæ proponuntur; ut verò Adversarii idololatriæ suspicionem declinent, varias quidem adhibent distinctiunculas, quibus superstitioni suæ colorem quendam inducere allaborant; verùm illæ ita sunt comparatæ, ut, quid sibi tandem velint, ne docti quidem hactenus satis assequi potuerint: quid igitur de rudioribus statuendum erit, qui distinctiones illas & subtilitates intelligere prorsus non valent? annon in iisdem *idem periculum* est longè maximum? quod cum Bellarminus hîc tam impudenter *falsum* esse pronunciet, meritò diligenter in illud inquirimus. Bellarminus itaq; quando negat, *idem nunc esse periculum in reliquiis*, sanè de verbis ipsis, quibus à multis reliquiarum cultus proponitur, hoc intelligere non potest: ita enim opponere possemus ei, quæ alibi vi veritatis coactus scripsit, & quàm periculosa illa sint agnovit. Sic enim ille: *Dicere populo, imaginem Christi vel crucem adorandam esse latriæ cultu, illò ipsò, quò adoratur DEUS, non caret magnò periculò: nam qui defendunt imagines*


gines

gines (par est ratio reliquiarum) adorari latriâ, coguntur uti subtilissimis distinctionibus, quas VIX ipsimet intelligunt, nedum populus imperitus. At verò ita docuisse Alexandrum, Thomam, Cajetanum, Bonaventuram, Marsilium, Almaynum, Carthusianum & alios, nempe quòd idem honor debeatur imagini & exemplari, & proinde Christi imago (idem senserunt de ejus reliquiis) sit adoranda cultu latriæ, ipse fatetur Bellarminus loc. cit. Annon igitur maximum est periculum in reliquiis Sanctorum? Quamvis enim Bellarminus hîc videri velit damnare eos, qui dicunt, imagines vel reliquias adorari latriâ, in sequenti tamen XXIII. capite expressè inquit, *Imagines Christi* (idem esto iudicium de reliquiis) *impropriè vel per accidens posse honorari cultu latriæ, & cap. XXV. ait, illas per se propriè coli latriâ secundum quid, analogicè & reductivè tali, quæ reducatur ad latriam, ut perfectum ad imperfectum.* Adhibet igitur ipse Bellarminus similes distinctiones, de quibus antea, quòd VIX ipsimet, qui iis utuntur, eas intelligant, nedum populus imperitus, asseruerat, adeoq; idem quod illi periculum incurrit. Neque est, ut dicat Bellarminus, in modo loquendi esse periculum, non verò in ipso cultu. Licet enim non diffiteamur, quin potius omni ratione contendamus, modum loquendi esse periculosissimum, & minimè omnium intelligi posse, ipse tamen cultus reliquiarum idem habet, si non majus, periculum: quod enim non potest ex verbis subtilissimis, quibus proponitur, sine magno periculo intelligi, quomodo ipsò factò sine periculo exprimi poterit? quomodo quis ejus, quam non intelligit, menti opere ipsò satisfacere valebit? Et sanè illæ ipsæ, quas hîc adhibent. distinctiones, v. c. *imagines vel reliquias Christi impropriè & per accidens posse honorari cultu latriæ, sive, ut aliàs loqui amant, se reliquias Christi colere relativè ad Christum, item concomitanter cum Christo, ita comparatæ sunt, ut, iis admissis, omnis generis idololatria iisdem facilè excusetur.* Si quis adoraret solem, & propterea idololatriæ postularetur, is eòdem modò se excusare posset, se solem adorare *impropriè & per accidens, tendendo affectu in illum tanquam effectum DEI inter corpora cœlestia præstantissimum,*

tissimum, se colere solem *relative*, mente cum referendo ad DEUM, qui in eo præsens sit: item *concomitanter cum DEO*, qui in ipso operetur. Unde meritò Autor Apiarii Romani, qui dicitur esse *Philippus Marnixius*, de simili quadam distinctione inquit: Wenn die Juden und andere Götzendiener so wichtig gewesen wären/ daß sie diese köstliche distinction den Propheten für ein Schild oder Tartschen fürgeworffen hätten/ sie sollten ihnen das Maul wol so leichtlich gestopffe haben/ als man jetzt diesen neuen Evangelischen Prædicanten thut/ die stets die Nase in die Bibel stecken/ &c. Maneat igitur, præsentissimum idololatriæ periculum nunc esse in reliquiis Christi & Sanctorum.

§. 36. Quod porrò dicit *Bellarminus*, *populum Judeorum eò tempore propensissimum fuisse ad idololatriam*, id facile admitimus, cum hoc Scriptura S. satis superq; comprobet: Addimus autem, cum populus Judaicus, quem tamen DEUS suo alloquiò & tot stupendis miraculis, tot beneficiis aliis dignatus erat, levissimâ occasione datâ tam propensus ad idololatriam fuerit, idem multò magis Pontificiis accidere posse, vel potiùs jam accidisse, qui in suis cœtibus periculosam adeò doctrinam de cultu reliquiarum partim proponunt, partim audiunt, & adeò periculosam praxin quotidie oculis suis usurpant, ipsiq; exercent.

§. 37. Quod deinde subjicit *Bellarminus*, *post captivitatem Babylonicam populum illum non amplius coluisse idola*, vix LL. Theol. admitti poterit: non enim fit verisimile, cultum divinum magis ab idololatria defecatum, ac minori cum idololatriæ periculo contract. I. c. 7. junctum fuisse, quando post captivitatis tempora præter *Haggæum*, §. 100. *Zachariam* & *Malachiam* nullos amplius habuerunt Prophetas, ac à doctrina sinceritate magis magisq; quotidie discesserunt, quàm quando continuâ serie Prophetæ ad repurgandum cultum divinum ad ipsos missi fuerunt, verba sunt B. Domini D. Gerhardi. Deniq; illud, quod postremum est, DEUM illustrasse sepulchrum *Esaie*, *Ezechielis*, *Hieremie*, *Abdia* & aliorum multis miraculis, & gratum habuisse cultum, qui ossibus eorum exhibebatur, id tanstisper trans-eat & concedatur, quamvis *Bellarminus* id idoneò aliquò testimoniò hætenus non probârit, cum sola citatio Autorum, sine

sine verbis & loco, in quo verba legantur, non sufficiat, quippe cui saepe fucus subest; sed, ut dixi, hoc tantisper transeat. Nos verò negamus nunc hanc consequentiam: *Deus illustravit sepulchrum Esaiæ, Ezechielis, Hieremias, Abdiæ & aliorum multis miraculis.* Ergò cultu religiosò reliquiæ Sanctorum sunt honorandæ, & quidem aliquæ *latrîa*, aliquæ *hyperduliâ*, aliquæ *duliâ* sive simpliciter, sive secundùm quid, analogicè & reductivè tali: eâdem enim ratione, hòc quoq; modò inferre liceret: **DEUS** serpentem aneum magnò aliquò miraculò illustravit. Ergò cultu religiosò fuit honorandus. Antecedens multis modis certius est, quàm illud Bellarmini, cùm ipse **DEUS** per Mosen hoc memoriæ prodiderit, qui in *Numeris XXI, 6.* *Et misit Dominus, inquit, in populum serpentes ignitos, & momorderunt populum & mortuus est populus multus ex Israël.* **Num. XXI, 6, 8, 9.** *vers. 8. pergit: Et dixit Dominus ad Mosen: Fac tibi  ignitum serpentem (simulacrum igniti serpentis) & pone eum super vexillum, & erit omnis, qui morsus fuerit & videbit eum, & vivet.* *vers. deniq; 9. complementum his verbis subjicitur: Si mordebat serpens virum, (aliquem) & adspiciebat ad serpentem aneum, & vivebat.* Antecedens igitur testimoniò omni exceptione majore confirmatum dedimus, & nihilominus consequentia, quæ Bellarminianæ prorsus similis est, non procedit, quod patet ex *II. Reg. XLIX, 4.* ubi in laude Regis Hiskias **II. Reg. XLIX, 4.** *ponitur, quòd confregerit serpentem aneum, quem fecerunt Moses, quia usq; ad dies illos erant filii Israël suffientes (suffiebant) ei.* Utinam omnes Reges & Principes Pontificiæ religioni addicti laudatissimum hoc pii Regis exemplum imitentur, ita de illis quoq; verum evaderet, quod dicitur ibi, *Hiskiam fecisse rectum in oculis Domini.* Verbò hîc adhuc monendum est, postrema illa verba: *DEUM gratum habuisse cultum, qui ossibus eorum (Sanctorum & Prophetarum) exhibebatur,* falsa esse, si de alio, quàm ossibus Sanctorum conveniente cultu & honesta sepultura intelligantur, & petitionem ejus, quod est in quæstione, continere.

§. 38. *Tertium argumentum hoc esto.*
 Quod est impium, absurdum, magis quàm natura & conditio

ditio ejus permittit adauctum, bestiale & supposititium, illud est rejiciendum, non verò religiosò cultu afficiendum.

Pleraq; reliquiæ in Papatu sunt impiæ, absurda, magis quàm natura & conditio earum permittebat adaucta, bestiales & supposititiæ. Ergò

Pleraq; reliquiæ in papatu rejiciendæ, non verò religiosò cultu afficiendæ sunt.

Major nullâ indiget confirmatione. Circa Minorem verò observeo, quòd eâ non velim intelligi conjunctim, sed disjunctim: non quòd plerq; reliquiæ simul sint & impiæ, & absurda &c. sed quòd illæ partim sint impiæ, partim absurda, & sic de cæteris. Quòd si omnino quædam sint veræ reliquiæ, quas in harum censum referre non liceret, illæ tamen ob alia, quæ adduximus, argumenta religiosè colendæ non essent, sed honestè sepeliendæ & monumentis inferendæ. Singula verò Minoris membra facili negotiò confirmari possunt. Et primò quidem impiæ sunt reliquiæ, utpote quæ sæpius non hominum sanctorum, ut vulgò audiunt, sed impiorum, sceleratissimorum & damnatorum hominum reliquiæ sunt: ita enim non rarò accidit, ut multorum corpora cum cultu ostendantur in terra, quorum animæ torquentur in gehenna, cum non sit inusitatum, ossa maleficorum, latronum, furum & meretricum ostendi pro ossibus Sanctorum propter similitudinem nominum. Multæ siquidem sunt meretriculæ, quibus nomen est Mariæ: istarum igitur ossa interpositò juramentò (quid autem nundinatoribus istis familiarius!) pro reliquiis Mariæ ostendi possunt, ubi credulum vulgus Mariam, DE I matrem, Virginem illam supra omnes mulieres evectam, intelligit. Ita quoq; facilè accidere potuit, ut Judæ proditoris ossa pro ossibus Judæ Apostoli ob adfinitatem nominis sint traducta. Taceo brevitatis studiò alia, cum non immeritò hanc fraudem plurimis reliquiis subesse viri docti existiment: facilè enim fieri potuit, ut in translatione illa error aliquis admissus fuerit, cum, ut alii dudum demonstrarunt, hæc translatio post CCC. Annum Christi primùm cœperit, quò

quò

quò tempore sepulchra pleraque Apostolorum Apostolico-
rumq; virorum fuerunt prorsus ignota, ut etiam peculiari
revelatione divinâ, ut ajunt, quæ tamen à Diaboli ludifica-
tionibus variis non semper satis tutò discerni potest, opus
fuerit. *Nonnunquam enim, ut loquitur Georgius Cassander, astu
& illusionis demonis, hominum superstitione abutentis, per insomnia
& visa nova reliquia revelabantur, & ejusdem operatione miracula
edi videbantur.* Sunt deinde reliquie absurde, quæ cum rei veri-
tate nullâ prorsus ratione consentiunt. *Wolffius in lectionibus
memorabilibus* tradit, quòd Johannes Tetzelius indul-
gentiarum scrutarius & æruscator Pontificius, cum, de vectis
in Misniam & expositis mercibus, quodam in oppidulo con-
cionaretur, quò magis sese hominibus commendaret, promi-
serit, allaturum se ad meridianam concionem egregium quid-
dam de reliquiis, ac imprimis *pulcherrimam pennam Archangeli
Michaëlis* (quasi verò angeli sint plumati!) quam illi *Diabolus
in duello ex alio evulserit*, esse monstraturum. Aderant qui-
dam, quibus fraus subolebat, quapropter cibum capientes
cum Sacerdote Tetzelio, cum is à tergo vasculum cum penna
in periclinio positum haberet, illi eandem inde suffurantur,
& pro ea carbonem ingerunt. Minimè hoc Tetzelius ani-
madvertebat, sed acceptò vasculò doli nescius ac probè potus
in templum properabat, pecuniâ senes emuncturus. Ibi er-
gò unum mendacium ex altero consuens, & de penna Mi-
chaëlis mira prædicans, magnam apud omnes inaudita rei
expectationem, incredibileq; desiderium concitavit, ac jam
decursò tempore & prehensò vasculò, *hem*, inquit, (ne sci-
licet velut mus in pice, sic ille in mendacio constrictus hære-
ret) *infelix ego, quid egi? cupiebam vobis, auditores, pennam Mi-
chaëlis conspiciendam præbere, at erravi. & pro illa carbonem arripui,
quibus D. Laurentius est crematus.* Habemus hinc singulare
exemplum fidei Reliquiariorum, & certitudinis reliquiarum.
Eâdem certitudine & probabilitate, hoc est nullâ, alius in pu-
blicum produxit pennas Spiritus S. collectas, cum in forma
columbæ apparuit. Alibi sunt plumæ Gabrielis Archangeli,
cum ad B. Virginem salutabundus accederet: quin & nobilis

I. IV. de re-
lig. cult.
object. cap.
81.

part. III.
q. LIV.
art. 2.

an. D.
cccxxvi. §.
52. 54.

in exam.
Cōc. Trid.
part. IV.
de reliq.
Sanct. sub
finem.

Michaëlis Archangeli sica & sicæ geminum scutum olim fuere
commonstrata, quod aliquot abhinc annis interdictō vetuit
Abrincensis Episcopus. Ita ergo etiam Angelorum, quorum
natura est immortalis, & ab omni materie concretione longè semota,
reliquia tamen apud istos (Pontificios) non ita dudum erant nobi-
lissime, ut *Dallæus* loquitur. Quæ spirituum reliquæ nisi ab-
surdæ sunt,

nunc & oves ultrò fugiat lupus, aurea duræ
mala ferant quercus: narcissò flore at alnus:
pinguia corticibus sudent electam myrica.

§. 39. Porro reliquæ etiam sunt magis quàm natura & con-
ditio earum permittit aduētæ: paucula è multis hîc excerpemus.
Sanguis Christi in pluribus quàm centū locis ostenditur. Ru-
pellæ Pictonum habent guttas sanguinis, quas *Nicodemus*
chirotecis excepisse fingitur. Romæ verò in templo *Eusta-*
chii sanguis Christi plenis phialis effunditur; cùm tamen
Thomas, (tanta est Pontificiorum concordia,) contendat, eo-
rum Christi sanguinem in cruce effusum rediisse in corpus, ac sangui-
nem, qui in quibusdam Ecclesiis pro reliquiis conservatur, non fluxisse
de Christi latere, sed miraculosè dici effluxisse de quadam imagine
Christi percussa. Clavi, quibus Dominus cruci est affixus, qua-
tuordecim numerò ostenduntur, ut apud *Wolfium* locò su-
prà citatò videre est, cùm tamen, fatente ipsò *Baroniò*, anna-
lium parente, plures quàm tres vel ad summum quatuor esse
non potuerint. Spinæ, quibus Christus coronatus est, in o-
mnes regiones dispertitæ sunt, & in tanta copia ostenduntur,
ut non coronando uni capiti, sed sepiendo amplissimo horto
sufficiant. B. Mariæ lactis tanta copia passim colitur, ut
multa multralia eò commodè impleri possent. Corpora tri-
um Magorum sunt Colonia & Mediolani: singuli igitur fue-
rint bicorpores. Integrum caput *Johannis Baptistæ*, ut partes,
quæ passim asservantur, nunc taceam, Romæ in *Sylvestri* cœ-
nobio reperitur, idem *Gandershemi* ostenditur: ecce igi-
tur *Johannes* monstrum biceps! Memorabile quoque est,
quod *B. Chemnitius* ex *Andrea Abbate Amelunxbornensi* nar-
rat Anglorum quondam Regi *Edvardo* ex dentibus laboranti
acci-

accidisse: Cùm enim ille mandasset Apolloniæ dentes, quæ ubique in regni sui Ecclesiis in reliquiis servabantur, ad se mitti, tot ex unius regni reliquiis Apolloniæ dentes coacervati fuerunt, quos aliquot magnæ tonnæ capere non potuerunt. Alia quæ huc adferri poterant brevitatis studiò prætermitto. Videatur magnus illorum cumulus apud citatum *VVolfium centuriâ XVI.*

§. 40. Alia præterea reliquiæ sunt *bestiales*: Genevenses enim caudam asini, cui inequitavit Dominus noster Jesus Christus, pomposè ostendunt. Ibidem etiam brachium Antonii diu hominibus osculandum est exhibitum, sed cùm aperiretur, suberat cauda cervi. Et hoc est, quod dicit Megalander noster *B. Lutherus: Canum & equorum ossa ibi saepe reperta sunt. Deniq;* reliquiæ etiam sunt *suppositivæ*, quod exemplò Tetzeli supra adductò jamdudum patuit. Alius, cui noctu surreptæ erant reliquiæ, manè, quò venales suas merces, indulgentias dico, melius extruderet, fœnum ex hospitii horreo desumpsit, & illud idem fœnum esse, in quo Christus Bethlehemi est repositus, impudenti ore asseruit, & deinde in templo ipsam hospitam, licet fraudis esset conscia, & quoq; sponcione factâ, se illud exosculari nolle in se recepisset, ad osculum fœno imprimendum vafre induxit. Cùm enim ipsa aliàs de pudicitia esset suspecta, impostor inter alias virtutes reliquiis suis etiam hoc tribuit, *quòd arceant omnes adulteras, ut accedere non possint, nec illas exosculari.* Hospita igitur, quæ de sumtu quàm de fama maluit periclitari, postrema accessit & reliquias stabuli sui exosculata est. Genevæ diu quoq; ostensum est cerebrum Petri, quod adapertum erat pumex. Quod si hodie adhuc thecæ & scrinia reliquiarum perquirerentur, eadem fraus procul dubiò in quamplurimis deprehendi posset. Quod diffiteri non potuit supra laudatus *Cassander*, qui *loc. cit. hodie verò*, inquit, *cùm passim omnia reliquiis Sanctorum plena esse videntur, verendum est, ne si Episcopi & Principes in veris reliquiis inquirendis & dijudicandis eam, quam debent, operam adhiberent, ingentes & detestanda impostura patesserent.*

artic. Smal-
cald. artic.
II. de Missa.

§. 41.

§. 41. Ad hoc postremum, quòd nimirum reliquiarum sine
 in Bell. vin. supposititiarum, excipit Erbermannus: hoc esse obesum mendacium, &
 dic. tom. Puritanis (opponit enim hæc verba Amesio) dignam calumni-
 II. lib. VI. am, si præsertim sermo sit de Reliquiis publicâ Episcoporum autoritate
 c. 4. §. 3. n. s. propositis. Cui faciem prætulisse videtur ipse Bellarminus, qui
 lib. II. de ita similiter inquit: negamus reliquias, quæ publicè in templis expo-
 reliq. Sanct. nuntur veneranda, esse supposititias. Semper enim Ecclesia diligen-
 c. 4. sub. ter curavit, ne fraudes fierent, & præcipuè post decretum concilii
 finem. Lateranensis, ut nullæ reliquiarum publicè recipiantur sine autoritate
 Romani Pontificis. Sed præterquam quòd exceptionum har-
 rum vanitas ex supra allatis exemplis satis superq; patefcatur,
 cum istæ enumeratæ reliquiarum sint tales quæ publicè in
 templis exponuntur veneranda: ipsa quoq; Adversariorum ver-
 ba, quæ producta sunt, satis produnt, eos non audere simpli-
 citer negare, quasdam reliquias esse supposititias: veritas
 enim nimis manifesta est; sed alter restringit hoc præsertim
 ad reliquias publicâ Episcoporum autoritate propositas; alter verò
 asserit, reliquias nullas esse supposititias, præcipuè post conci-
 lium Lateranense: de prioribus itaq; temporibus nihil certi
 habet, quod affirmare possit. Sed neq; sic eos omni ex parte
 veritatem proferre, sed obesum quoddam mendacium (liceat
 mihi verbò Erbermannianò uti) committere, patebit, si pro-
 Tom. IIX. ducamus historiam, quam ex Empsychovio recenset B. Ger-
 tract. I. c. 7. hardus. Cum ecclesiastica disciplina ratio, inquit ille, à D. Pome-
 §. 103. rano descripta & à Senatu populòq; Brunsvicensi approbata & re-
 cepta esset, convellebantur mox, Senatu populòq; autore, ex præcipuis
 templis altaria, quæ ad privatas missas celebrandas in omnibus passim
 angulis fuerant erecta. Eâ re cum supersticiosiores pleriq; ex omnibus
 ordinibus vehementer offenderentur, nec deessent, qui odiò nova, ut
 vocabant, doctrina frigidam suffunderent, sunt concursus hominum
 ineptorum & superstitionibus addictorum ad templa & cæmeteria, &
 parùm aberat, quòd minùs ad tumultum res progrediretur. Eò
 animadversò Suffraganeus Matthias natione Danus, qui patriâ relicta
 Brunsvigam elegerat, in qua reliquum vitæ exigeret, inq; Egidiani
 templi area post obitum humatus, is, inquam, cognitâ populi indigna-
 tione, quam conceperat ex altarium demolitione & reliquiarum disti-
 patione,

patione,

patione, accurrit ad templum Martinianum, & Ludolphum Petersinum jamjam concionaturum compellat, indicat se animadvertere populi offensionem ex destructione altarium facta, & imprimis ex reliquiarum sanctarum profanatione, ad eam offensionem sanandam peropus esse, ut quanam & quales illae reliquiae sint, unicuique bene constet, quod ex se ipso optimè cognosci possit. Sibi enim à Pontifice Romano (habemus hinc reliquias non modò vulgarium Episcoporum, quod Erbermannus desiderabat, sed publicà ipsius Romani Pontificis autoritate propositas) esse factam potestatem, quicquid officulorum fortè nactus esset, quod quidem huic rei idoneum videretur, **ID PRO CUJUSVIS VELLE SANCTI RELIQUIS CONSECRARET.** Eà potestate se usum plurimis in locis porcina, vervecina, aliave ossa carnibus pridie consumtis postridie pro reliquiis Sanctorum vendidisse & in altaribus recondidisse, idem alios sui loci atque ordinis homines facere consuevisse, seque ipsum **PLERAQUE** ex altaribus iis consecrâsse & **RELIQUIS EJUSMODI** ditasse. (Vides benevole Lector reliquias porcinas, vervecinas, aliasve publicè in templis, quod Bellarminus excipiebat, ut vulgus illas veneraretur, expositas.) *Has fraudes praterquam quòd ex animo doleret à se admissas, veniamque bujus culpa à DEO & Ecclesia peteret, cupere etiam populo deinceps esse notas, ne diutiùs illis tam miserè decipiatur.*

§. 42. Hisce ita pro veritate confirmanda & falsitate destruenda dictis, finem faciemus cedrò dignis B. Lutheri nostri verbis, qui, reliquiae, inquit, Sanctorum referta multis mendaciis, ineptiis & fatuitatibus. Canum & equorum ossa ibi saepe reperta sunt. Et licet aliquid fortè laudandum fuisset, tamen propter imposturas istas, quae Diabolo risum excitârunt, jamdudum damnari debuissent, cum praesertim careant verbò DEI, & non necessaria & inutiles sint. Estque hoc omnium teterrimum, quòd finxerunt, istas reliquias indulgentiam & remissionem peccatorum operari, & locò cultus DEI & boni operis, sicut Missam, illas venerati sunt &c. Sequitur

artic.
Smalc.
artic. 2.
de Missa
sub fin.

nunc.

B

CA.

CAPUT III.

In quo

Adversariorum argumenta expenduntur.

§. 43.

Multa quidem argumenta Pontificii pro sua sententia ex Scriptura, Conciliis, Patribus & ratione producunt, verum illa ut numero plurima, sic robore fere nullò prædita sunt, ut fucò, quem callidè iis induunt, detectò non solùm infirmitas illorum cuius ob oculos versetur, sed etiam nonnulla ex illis nostræ potiùs, quàm Pontificiorum sententiæ confirmandæ inserviant, quod tractatio ipsa manifestum reddet. A. Bellarmino, qui hac in parte admodum prolixus est, initium faciemus.

de Reliq.
Sanct.
lib. II. c. 3.

§. 44. Ille autem primum argumentum sumit ab exemplis Scripturarum. Producit autem sequentia. Exod. XIII. Moses discessurus cum populo ex Ægypto in Palestinam, noluit ibi relinquere ossa sancti Josephi jamdudum mortui, sed ea honorificè secum asportavit & transtulit in terram promissionis: Non ergò superstiosum neque novum est transferre ossa Sanctorum, ut Magdeburgenses in singulis Centuriis clamant. ITEM Deut. ultimò DEUS ipse (ut Hieronymus contra Vigilantium argumentatur) corpus Moysi honoravit, dum illud propriis manibus sepelivit. ITEM IV. Regum XIII. ossa Helisei cum tetigissent mortuum quendam hominem continuo illum ad vitam revocârunt: Non ergò DEUS contemnit ossa Sanctorum, sed ea honorat & honorari cupit, dum per illa miracula tam insigne patravit. ITEM IV. Regum XXIII, cum Josias delubra idolorum everteret, & omnem idololatriam delere vellet, tantùm abest, ut reliquias Sanctorum delendas esse existimaret, ut cum aliorum mortuorum ossa effodisset & in cineres redeget, ossa tamen Sancti Propheta ibidem reperta asservari jusserit. Hæc Bellarminus, ut reliquiarum translationem & cultum in Scripturis Veteris Testamenti fundatum esse ostenderet; sed admodum frigide, ut mox patebit.

§. 45. Quantum ad exemplum Moysi ex Exod. XIII. petitum, qui, ut filios Israhel juramentò, quò illos Josephus mori-

mori-

moriturus obstrinxerat, exsolveret, ejusdem ossa secum in Pa-
 læstinam traduxit, id quidem haud inviti concedimus; sed
 quod inde infert Bellarminus: *Non ergo superstitiosum neque no-
 vum est transferre ossa Sanctorum,* quousque à nobis possit con-
 cedi, ex primo cap. §. 8. & seqq. satis patet; transferre verò
 ossa Sanctorum, non ut monumento illustriori inferantur,
 quod fecit Moses, sed ut ad cultum aliis exhibeantur, id verò
superstitiosum & novum esse, non Magdeburgenses tantum, sed
 res ipsa clamat, & ex hoc Mosis facto nullà profus conse-
 quentiæ specie probatur. Vera enim, cur Joseph corpus
 suum non in Ægypto sed in terra Canaan voluerit sepeliri,
 causa fuit, ut Israëlitas, quos post suum discessum variis ca-
 lamitatibus ab impiis oppressum iri non ignorabat, de re-
 versione in terram Canaan confirmaret, quod ex fide factum
 esse *Epistola ad Ebraeos* testatur: *Per fidem,* inquit, *Joseph* Ebr. XI, 21.
*moriens de egressione filiorum Israël meminit, deque ossibus suis man-
 davit.* Quid autem mandavit de ossibus suis Joseph? non ut
 ea religiosè colerent; sed ut ascendere facerent ossa sua ex Ægy-
 pto in terram Canaan, quod non aliò fine factum fuisse,
 quàm ut ibi honestè sepelirentur, exequutio hujus mandati,
 quæ *Jos. XXIV, 32.* describitur, docet. Nihil itaque præsidii
 contra nos hîc invenit Bellarminus, qui corpora Sanctorum *Jos. XXIV, 32.*
 honestè tractanda & sepelienda, & hunc in finem, sicubi o-
 pus fuerit, de loco in locum transferenda esse, non negamus,
 sed potiùs omni ratione contendimus. Idem esto judicium
 de facto ipsius DEI corpus Mosis terræ mandantis, quod con-
 tra religiosum reliquiarum cultum superiùs productum, & ab
 Adversariorum exceptionibus vindicatum est, adeoque hæc
 exempla nostram potiùs confirmant sententiam, & docent,
 corpora Sanctorum demortuorum esse sepelienda. Produ-
 cat autem *Bellarminus,* vel quivis alius, unicum saltem Vete-
 ris aut Novi Testamenti exemplum, ubi corpus alicujus San-
 cti vel non humatum vel ex sepulchro erutum legatur, ut
 RELIGIOSO cultu afficeretur, & erit mihi magnus Apollo.

§. 46. Quod attinet exemplum de ossibus Elisæi, quo-
 rum contactus mortuum in vitam revocavit, negamus ex eo

sequi, *DEUM* honore & honorari velle (de honore autem religioso, qualem reliquiis Pontificii exhibent, sermonem esse oportet) *ossa Sanctorum*. *DEUS* equidem non contemnit *ossa Sanctorum*, sed potius custodit omnia *ossa just*. *Psalm. XXXIV, 21.* quòd autem eò fine miraculum hoc in *Elisai* corpore factum sit, ut illud religiosò cultu afficeretur, nec sacra pagina docet, nec praxis *Ecclesiæ Judaicæ* testatur: relicta enim sunt *ossa* illa in sepulchro, non verò inde ablata & ad cultū circumgestata, aut osculanda cuiquam præbita. Nervosè igitur *Dn. Praeses*, Patronus, Præceptor atq; Hospes meus multis nominibus mihi venerandus ad hoc argumentum his verbis respondet:

in explic. *Licet miraculum hoc non negemus, quòcunq; iam sine factum fuerit, LL. difficil. sive ut confirmaretur prophetiâ Elisai, quâ Syros percussim iri nuper totius Scr. prædixerat, vers. 19. sive ut ostenderet DEUS, quantopere sibi displiceret minus honesta prophetici corporis tractatio; negamus tamen inde sequi, eò modò Sanctorum reliquias esse venerandas, quemadmodum fit in Papatu. Neg; enim legimus, post editum illud miraculum Elisai ossa sepulchro eruta, in sublime elevata, circumgestata, aut exosculanda, tangenda, spectanda proposita, aut candelis honorata, aut serico involuta aut adorata fuisse, quæ omnia hodie apud Pontificios fieri cernimus. Deniq; si vera & firma est hæc consequentia: DEUS per corpora Sanctorum edidit miracula. Ergò religiosò, qualis in Papatu viget, cultu sunt afficienda: hanc quoq; consequentiam Pontificios admittere oportet: DEUS per Sanctos viventes multa edidit miracula. Ergò Sancti viventes religiosò cultu fuerunt afficiendi. Quam consequentiam nullam esse docet Lucas Act. XIV, 8. seqq: Lystrenses enim moti miraculò, quò Paulus claudum ab utero matris solò verbò restituit, per Sacerdotem Jovis, qui erat ante civitatem illorum, tauros & coronas ad vestibula afferri curârunt, & sacrificare voluerunt: quod ubi audierunt Apostoli Barnabas & Paulus, conscissis vestibus suis insilierunt in turbam, clamantes: Viri, cur ista facitis? nos quoq; iisdem quibus vos obnoxii malis sumus homines, annunciantes, ut ab istis vanis convertamini ad DEUM vivum, qui fecit cælum & terram & mare & omnia, quæ in eis sunt. Ne verò quis obvertat, Apostolos hîc non prohibere omnem cultum Sancto-*

Ps. XXXIV,

21.

in explic.

LL. difficil.

totius Scr.

S. ad h. l.

VIXX 30

Act. XIV,

8. seqq.

Sancto-

Sanctorum, sed talem tantum, qualem Lystrenses intende-
bant, & ab illis gentilium idolis exhiberi solebat, notari
cupimus, quod Apostoli plebem de solo DEI cultu hic infor-
ment, semetipsos verò tanquam Sanctos colendos esse, neu-
tquam doceant, quod tamen hanc occasione optimè fieri pot-
uisset, quin etiam debuisset, si tale quid, ut auditores suos
docerent, in mandatis habuissent.

§. 47. Deniq; Josias Rex cum altaria, in quibus cultus
idololatricus ante id tempus viguerat, ossibus humanis su-
per iis combustis contaminaret, pepercit ossibus Prophetæ
illius, qui hæc locis illis olim obventura prædixerat. Sed
quid contra nos inde tandem colliget Adversarius? non
enim docemus, *reliquias Sanctorum esse delendas*, sed in terra re-
condendas; & hac in parte confirmatur nostra sententia
hòc Regis Josiæ factò, non evertitur. Pontificii verò si idem
imitarentur, magis certè rebus suis consulerent, quàm cum
apertis sepulchris ossa producant & religiosò cultu afficiunt,
quod Rex Josias non fecit, neq; etiam pro eo, quò præditus
erat, zelo veritatis divinæ fieri unquam esset passus: non
enim *ossa Sancti Prophetæ ibidem reperta asservari jussit*, ut ambi-
guè loquitur *Bellarminus*, sed potiùs dixit: *Dimittite illum: vir
ne moveat* (nemo moveat, sed ut terræ madata sunt relinquat)
ossa ejus. In omnibus igitur hisce exemplis à *Bellarmino*
productis, optimum corporum sanctorum honorem sepultu-
ram esse confirmatur; de religioso verò cultu nec vola nec ve-
stigium apparet. Verùm hinc jam irascitur *Erbermannus* & pro-
fecto, inquit, *impietate excæcaturum esse oportet eum, qui non videt
hic plus quàm humanum cultum Principibus hujus seculi exhiberi so-
litum*. Sed vereor, ne *Erbermannus* ejusdem cæcitatatis, cujus
alios tam audacter insinulat, ipse reus teneatur: quid enim?
corpus alicujus de loco in locum ad sepulturam traducere,
illud sepelire, providere ne alicujus sepulchrum aperiatur &
ossa ejus conturbentur, hoc cene, inquam, est plus quàm hu-
manum cultum alicui exhibere? Certè partium studiò excæ-
catus *Erbermannus* id videntibus & prudentibus persuadere
frustra satagit. Quod autem reliquis, quæ *Erberman-*

tom. II.
Bell. vind.
lib. VI. cap.
4. de reliq.
Sanct. §. 20
num. 1.

Tom. V. mot
§. 3

nus præmisit, exemplis nihil obtineat, ex infra dicendis constabit.

loc. cit. §. 48. Pergit autem Bellarminus, & ad hæc, inquit, de sepulchro Domini legimus Esa. XI, 10. In eum (Messiam videlicet) gentes sperabunt & erit sepulchrum ejus gloriosum. Hunc locum de sepulchro Christi intelligi certum est, tum ex ipsis verbis, tum ex Apostolo Rom. XV. Quod autem non intelligatur solum de sepulchro pro eo tempore, quò ibi Christus jacebat, sed etiam pro tempore futuro, ac proinde reliquias honorandas, docet Hieronymus in epistola ad Marcellam, ut migret Betlehem, ubi docet, Esaiam prædixisse id, quod modò fit, ut sepulchrum Domini ab omnibus honoraretur. Ex quo refellitur Lutheri blasphemia, qui in libro de abolenda Missa dicit, DEO non majorem curam esse de sepulchro Domini, quàm de bobus.

§. 49. Respondemus quòd Bellarminus scriptitat: Hunc locum de sepulchro Christi intelligi certum est, id verò maximam adhuc habet dubitationem, & videtur Bellarminus versione Hieronymi deceptus hæc ita statuisse: ex loco Paulino enim Rom. XV, 12. nihil potest probari, cum ibi hæc, quæ nunc in controversiam vocantur, verba ne quidem legantur, neque etiam sepulchri Christi ulla in toto isto capite mentio fiat, sed hoc unicum hîc agatur, ut ostendat Apostolus, gentiles æquè ac Judæos ad regnum Christi pertinere, omniumq; beneficiorum ejus æquè ac illi participes esse. In Hebræo versus Esaiæ decimus ita sonat: **וְהָיָה בַּיּוֹם הַהוּא יִשְׂרָאֵל אֲשֶׁר עָמַד לְגַם עַמִּים אֲלֵיוּ גּוֹיִם יִרְשׁוּ וְהָיָה כְּבֹרָה:** Quæ verba Pagninus & Arias Montanus ita reddunt: *Et erit in die illa radix Isai, quæ stans in vexillum (stabit ut vexillum) populorum, ad illam gentes quarent, & erit requies ejus (in) gloria.* De quibus verbis posterioribus: *& erit requies ejus gloria (gloriosa.)* non est una Interpretum sententia. Hieronymus *Comm. in Esaiam ad b. l.* per requiem, ut in Hebræo est, & apud LXX. Interpp. mortem intelligit: *Et est sensus, inquit, Erit mors ejus gloriosa, ut impleatur illud, quod Salvator in Evangelio deprecatur: Pater glorifica me gloriâ, quam habui*

Tom. V. op.
f. 23.

habui priusquam mundus esset apud te. Et paulò post: Venit ad mortem, quæ non consuetò mortalium nomine, sed quia in Christo erat vita perpetua, requies appellatur. Nos autem ut manifestum legenti sensum faceremus, pro dormitione & requie alterò verbò, SED EODEM SENSU, sepulchrum vertimus. Ex quibus apparet, Hieronymum, licet hòc locò verterit: Et erit sepulchrum eius gloriosum, nullum tamen aliùm sensum intendisse, quàm hunc: Et erit mors eius gloriosa. Quod igitur in Epistola ad Marcellam Paula & Eustochium, vel, si mavis, Hieronymus, cujus operâ fceminæ illæ in hac epistola usæ sunt, verba hæc Esaiæ de sepultura Domini loco explicant, quòd ille esset ab omnibus honorandus, videntur ad suum tantùm institutum ea accommodasse, quia in Epistola illa conquisitis undiq; argumentis Marcellam hortantur, ut relictâ Româ ad loca sancta sese conferat. Liranus sepulchrum Christi (ut vertit Hieronymus) gloriosum vocari dicit, propterea quòd in monumento novo, linteis mundis & aromatibus pretiosis sepultus sit Christus: deinde quòd ex toto terrarum orbe, ad sepulchrum eius à fidelibus, iisque magnis ac præclaris, venerationis causâ concurratur. Alii intelligunt habitationem eius, quæ est Ecclesia, de qua in Psalmo CXXXII, 14. scriptum est: Hæc requies mea in seculum, hic habitabo, quoniam desideravi eam. Alii de pace illa & tranquillitate interpretantur, quæ est inter fideles regni Christi. Alii per requiem Christi gloriosam intelligunt victoriam Christi gloriosam ab hostibus reportatam. Cùm enim radix illa Jesse in præcedentibus proposita sit ut vexillum vel signum militare, putant ad requiem signi bellici hîc respici, quæ est post partam victoriam. Alii aliter explicant, ut passim apud Interpretes tam veteres quàm recentiores videre est.

Psal. CXXXII,
14.

§. 50. Quamcunque tandem explicationem quis arripiat, nihil pro stabiliendo religioso reliquiarum cultu obtinebit, quod cùm de posterioribus in luce positum sit, de priorè tantùm explicatione, quæ est Hieronymi in Ep. ad Marcellam, quæque à Bellarmino urgetur, erimus solliciti. Præterquam autem quòd illa, ut jam patuit, præter necessitatem à ver-

JIV. 107
XIX. 101
III. 2. 50

à verborum proprietate recedit, etiam textui non adeò convenire videtur. Propheta enim *radici Jesse, quæ stat in vexillum populorum*, duo in his verbis tribuit prædicata, i. quòd *eam gentes quærant*, vel, ut Bellarminus loquitur, *gentes sperantura sint in eum*, & 2. quòd *eius requies sit gloriosa*. Quemadmodum igitur prius prædicatum soli Christo *Ἰεσουχριστῷ* debetur, & nulli creaturæ convenire ullâ ratione potest: Ita quoque vero prorsus consentaneum est, per *requiem eius gloriosam* tale quid intelligi, quod ipsi non est commune cum aliis. At verò Christi sepulchrum esse gloriosum, eò modò, quò citati Auctores exponunt, Christo cum multis est commune: Non enim Christi corpus tantùm *in monumento novo, linteis mundis & aromatibus pretiosis sepultum est*: neque ad solum Christi sepulchrum concursus fidelium posterioribus temporibus venerationis gratiâ est factus, sed hoc Christo est commune cum multis martyribus: quin & impostor ille Mahumethes majorem sepulchri gloriam, quàm ipse Christus, si externas tales prærogativas & dignitates æstimes, videtur consequutus. Non igitur est probabile, hanc sepulchri gloriam ab Esaia fuisse intellectam. Quod si omnino necessitas cogeret (quamvis talis non appareat) ut verba adducta ita ut Bellarminus vult vertamus: *sepulchrum illius gloriosum; Gloria tamen sepulchri Dominici non consisteret in supersticiosa fascium sepulchralium veneratione, vel in peregrinatione ad illud, opinione cultus susceptâ, sed in fideli mortis, sepulturae ac resurrectionis Dominicæ commemoratione, quâ summum Christi amorem, ex quo propter nos & nostram salutem passus, mortuus & sepultus est, gratâ mente prædicamus & beneficia ipsius passione, morte, sepulturâ & resurrectione parta verâ fide nobis applicamus.* — Interim mirabilem DEI providentiam & potentiam in eo agnoscimus, quòd sepulchrum Christi, in medio hostium eius situm, ab ipsis Turcis excolitur, & gentes illa immanitate barbaræ ac truculentæ ad illud accedunt, quòd quædam cænobium Christianorum ibidem permittunt, in quo Christi laudes in medio hostium eius personant, verba sunt B. Gerhardi. Quòd denique B. nostro Luthero blasphemiam, blasphemiam autem? imputat, id quâ fide & conscientiâ factum sit, ipse viderit: solen-

Tom. VIII,
loc. XXIX,
c. 7. §. III.

Tom. VIII,
loc. XXIX,
c. 7. §. III.

len-

lenne enim esse Pontificiis, ut viri Optimi verba etiam optima pro sua libidine in diversum & alienum sensum torqueant, & sibi, quod deinde calumniari possint, fingant, notissimum est, quod in hoc quoque loco factum esse dubium nullum est.

§. 51. Sed nondum contentus Bellarminus alios pergit ex Scriptura prætextus quærere, & denique, inquit, si Christus hîc adesset, & nos vestem ejus exoscularemur, continuo nos idololatrias esse Lutherus & Calvinus dicerent, at mulier Emorrhœissa solam simbriam Christi fideliter tetigit & sanata est, Matth. IX. Neque Act. V. sunt reprehensi populi, qui certatim ad umbram Petri eodem modo, quò poterant, attingendam occurrebant; sed potius fidei sue premium retulisse dicuntur, & tamen quæ reliquiæ viliores ipsâ umbrâ cogitari possunt? Neque habiti sunt Act. XIX. superstitiosi, qui Pauli sudaria & semicinethia deferebant ad egrotos, ut etiam nos modò facimus, sed potius religionem illorum miraculis confirmabat DEUS.

§. 52. Hæc ita speciosè Bellarminus. Sed valde absolum est, à primis istis seculis, in quibus doctrina Evangelii miraculis confirmata fuit, ad hæc nostra tempora, in quibus donum miraculorum dudum desiit, argumentari velle: si enim Christus hîc adesset, & tu ejus vestem, eâ, quâ mulier αἰμορροῖσσαι, fide tangeres, nemo te idololatriam vocaret: sicut te nemo imprudentem & temerarium diceret, si Christus hîc adesset, & tu ejus jussu, quod olim Petrus fecit, in mari ambulares. Sed cum Christus visibilem suam præsentiam Ecclesiæ subtraxerit, & vera miracula in Ecclesia dudum desierint, si Papa Romanus veluti Christi Vicarius & Petri, ut vulgò audit, successor legitimus in mari vellet obambulare, imprudentiæ & temeritatis pœnam morte lueret: ita quoque tu, qui reliquias Christi & aliorum Sanctorum, si modò tales sint, devotè oscularis & beneficia corporalia & spiritualia te hâc ratione obtinere posse existimas, meritò superstitiosus haberis. Nulla itaque hæc est consequentia: Mulier αἰμορροῖσσαι solam simbriam Christi fideliter tetigit & sanata est. Ergò reliquiæ sunt religiosò honore afficiendæ: quod ut tantò clariùs appareat, ipsa Evangelistæ verba diligenti-

F

gen-

Matth. IX, gentiùs erunt consideranda. Sic autem ille *vers. 20. Et ecce*

20, 21, 22. *mulier, quæ sanguinis profluvio laboraverat duodecim annos, accedens à tergo, tetigit simbriam vestimenti illius: vers. 21. Dicebat enim intra sese, si tantum tetigero vestimentum illius, ero salva, & vers. 22. At JESUS conversus, ut vidit illam, dixit: Confide filia, fides tua te salvam fecit. Et salva facta fuit mulier à tempore illo. Vera autem causa, cur mulier illa hoc de tangenda Christi simbria*

Marc. V,
30, 31.

consilium inierit, describitur nobis Marc. V, 30, 31. cum enim Christus cognoscens in semetipso, virtutem ex sese produsse, conversus in turba aiebat. Quis tetigit vestimenta mea? Dicebant ei discipuli ejus. Vides turbam undique prementem te & dicis, quis me tetigit? Cum itaque turba magna Christum undique cingisset, & præterea etiam Jairus Princeps Synagogæ instaret, ut filia suæ in agone mortis constitutæ Christus quàm citissimè succurreret, ut miseræ illi mulieri alius ad Christum aditus vix pateret, illa è tempore consilium capiens dicebat: Si vel vestimenta ejus tetigero salva ero; sed an vestimenta Christi erant quædam Christi reliquiæ? Christus enim adhuc erat in vivis, & vestimentis suis more aliorum hominum est usus. Sed sit ita, per vestimenta Christi reliquias Christi posse intelligi ex eo, quòd Christus illa aliquando in terra reliquit, quò modò exinde religiosus reliquiarum cultus probari poterit? tangere vestimentum nondum est religiosè colere vestimentum, vel illud adorare: eâ enim ratione qui tangeret scripta Bellarmini, eadem quoque religiosè coleret & adoraret, quod si verum esset, nemo nos unquam, quantâcunque etiam polleret eloquentiâ, ad talem contactum induceret. Equidem contextus docet, mulierem non tantum tetigisse vestimenta Christi, sed simul cum hac fide, se sanitati esse restituendam, si illud effectum redderet; sed tamen mulier fiduciam non in vestimenta, sed in ipsum Christum defixam habebat: unde non dicitur in textu, à vestimentis Christi exiisse virtutem, quod factum esse oportebat, si Pontificii, quod optant, obtinere deberent; sed potius, ex Christo produsse virtutem, neque etiam Christus conversus ad mulierem, contactus, inquit, vestimenti te salvavit, sed potius: fides tua te salvam fecit.

est.

eit. Nihil itaque hîc pro religioso reliquiarum cultu asse-
 ritur. Observant aliàs Theologi, & virtutem divinam Chri-
 sti, & fidem mulieris, & ipsam denique fimbriam sive conta-
 ctum fimbriæ suò modò ad sanationem mulieris concurrisse.
 Virtutem Christi quidem ἐνεργητικῶς, fidem mulieris ὀργανι-
 κῶς, fimbriam denique sive contactum fimbriæ συμβολικῶς.
 Cæterùm id, per quod DEUS tanquam per solum
 quoddam miraculum olim operatus est, non statim reli-
 giosò cultu est afficiendum aut adorandum: aliàs repre-
 hendi quoque non potuissent Israëlitæ, qui tempore Regis
 Hiskia serpentes æneum, quem Moses olim in deserto in si-
 gnum & solum sanitatis erexerat, religiosè coluerunt,
 neque etiam pius Rex propterea à Spiritu S. esset laudatus,
 quòd eum confringi & aboleri curasset, sicut legere est II. Reg.
 Reg. XLIX, 3, 4. Fuit Hierosolymis ad Probatam piscina, qua no-
 minatur Hebraicè Betesda, quinque porticus habens. In his jacebat
 multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum, ex-
 pectantium aquæ motum. Angelus enim descendebat certò tempore
 in piscinam, & turbabat aquam: itaque qui primus descendit post
 turbationem aquæ, sanus fiebat, à quocunque detinebatur morbo:
 quod egregium miraculosæ sanationis beneficium per pisci-
 nam illam cum Johannes Evangelista cap. V, 2, 3, 4. memoria Joh. V, 3,
 prodiderit, piscinam illam religiosè à Judæis vel Christianis 3, 4.
 cultam aut adoratam fuisse, planè tacet.

§. 53. Non major vis etiam inest argumento ab um-
 bra Petri & sudariis ac semicinctiis Pauli desumpto. Ut enim
 jam non dicam, sudaria & semicinctia Pauli viventis & præ-
 sentis ineptè ejusdem reliquias appellari, & umbram Petri,
 quâ viliores reliquias Bellarminus cogitari nō posse existimat, nul-
 lā veritatis specie reliquiarum nomen mereri: cum umbra
 nihil sit aliud, quàm lux impedita corporis alicujus objectu,
 quæ relinqui absente corpore & cessante splendore solis nul-
 lā ratione potest: hoc saltim dico: occurrere ad attingendam
 alicujus umbram, nondum idem esse, quod umbram alicujus ado-
 rare: neq; sudaria & semicinctia alicujus ad egrotos deferre esse
 idem, quod sudariis & semicinctiis alicujus religiosum cultum

deferre. Neq; etiam sequitur: Pauli viventis sudariis vel semicinctiis concessum fuit donum miraculosæ sanationis: Ergò ejusdem reliquiis idem donum est concessum, & per consequens religiosè illæ sunt colendæ: pari enim ratione ego quoq; Pauli mortui & in sepulchro jacentis oculis videnti vim, auribus audiendi, linguæ loquendi, pedibus ambulandi, toti corpori vivendi ac sentiendi vim adhuc inesse colligerem: quia hæc omnia in vivente Paulo fuerunt reperta. Sicut autem hæc consequentia omnium consensu est absurda, ita & illa Pontificiorū. Accedit, quòd DEUS Apostolis viventibus tantum miraculorum donum concesserat, ut hominum animos miraculis hisce percellerent, & doctrinæ suæ, quam iis tradebant, fidem conciliarent. Cessante autem hóc fine, propter quem hoc sanctis DEI hominibus erat concessum, ministeriò videlicet verbi prædicandi, cessavit quoq; hoc ipsum donum miraculosæ sanationis. At post mortem eorum munus ipsorum verbum DEI docendi prorsus cessavit, quod nemo negare poterit: Ergò etiam donum illud miraculorum, post mortem illorum, saltem de lege communi & ordinaria cessavit. Etiam si verò deniq; per impossibile poneremus, omnibus Sanctorum reliquiis talem virtutem miracula edendi inesse, nondum tamen sequitur, propterea reliquias Sanctorum esse adorandas, vel religiosò cultu afficiendas, ut sæpe jam fuit ostensum. Et quâ fronte Pontificii damnabunt Paganos, qui solem adorant, etiam ex ea ratione, quòd per illum & ejus influxum vitam & incolumitatem hominibus æquè ac bestiis DEUS confert? cur fruges & vinum, per quæ vita humana sustentatur, tali cultu afficienda esse negant? cur herbas, medicamenta præsentissima homini præbentes, non honorant? cur aquam & ignem, quibus vita hominum carere non potest, non suppliciter venerantur? siquidem propterea, quòd DEUS per umbram Petri & sudaria atq; semicinctia Pauli paucis quibusdam sanitatem contulit, umbra atq; sudaria religiosò honore essent afficienda. Non poterunt illi excipere: solem, fruges, vinum & herbas semper & de lege communi naturæ hæc nobis conferre, reliquias

quias

quias autem Sanctorum aliquando saltim, & extraordinariè per DEI omnipotentiam idem præstare: Hoc enim illis ipsis potiùs adverbaretur: quò crebriora enim & plura harum creaturarum DEI in nos sunt beneficia, tantò majori in honore etiam eas esse oportebat: & licet DEUS per hæc ordinariè, per illas verò extraordinariè nos juvet, id tamen nihil præsentis causæ poterit detrudere. Sufficit enim, quantum ad præsens, quòd utrorumq; Autor est DEUS, & quòd ex utrisq; etiam aliquid salutis nobis obtingit: utraq; igitur adorare licebit, siquidem hoc grati animi signum est (ut Pontificii tam obnixè contendunt) adorare illa, per quæ DEUS aliquid boni & salutis nobis confert, quicquid etiam de eo sit, an DEUS illa nobis per creaturas suas ordinariè & de lege naturæ communi, an verò extraordinariè & miraculosè nobis conferat. Et ita, quantum satis esse videtur, ad argumenta vel potiùs prætextus Bellarmini, quos ex Scriptura quærit, responsum est.

§. 54. *Argumentum secundum* sumit Bellarminus ex Conciliis diversarum partium orbis terra. Splendida promissio! Producit quidem Bellarminus concilia ex Oriente, ex Africa, ex Hispania, ex Germania, ex Italia; sed, quæ prioribus tribus post Christum natum seculis celebrata sint concilia, nulla producit. Cur ergò Bellarminus id nobis obtrudere conatur, quod non modò in Scripturis nullum habet fundamentum, sed & primis post Christum natum seculis prorsus fuit ignotum? Profert autem primò Concilium Nicenum II. auspiciis Irenes Imperatricis Anno Domini DCCLXXXVII. celebratum. Removerat autem Irene omnes contradicentes, & eos, qui ἐκονομαίχοι dicebantur, fraudulenter armis privaverat & in exilium ejecerat; ipsa contra habebat exercitum ad omnia paratum: ita videlicet *facillimum fuit, remotis contradicentibus consensionem in errore & superstitione institui*, ut rectè judicat Gesnerus. Synodus quoq; Francofurtensis Anno Domini DCCXCIV. à Carolo Magno convocata decretum hoc Synodi II. Nicenæ reprobavit. Cùm enim offerrentur *acta Synodi Nicenæ II, quam Adrianus per suos vicarios rexerat, ac*

lib. IV. de Concil. pag. 562.

Pontificii legati postularent subscriptionem & comprobationem, Patres non statim assentiuntur, sed disceptationem de iis, ut par erat, instituunt, & sententiam illam de imaginibus, (& ita etiam de reliquiis) adorandis examinant, veritatemq; deprehendunt ex collatione utriusq; Synodi, nimirum illius, quæ sub Constantino Copronymo prorsus damnaverat & abjecerat imagines, & hujus, quæ sub Irene non modò habendas, sed etiam adorandas & colendas — asseveraverat. Mediam autem sententiam (quæ etiam nostra est, cum de imaginibus, tum etiam de reliquiis) quòd imagines (reliquias etiam præsertim terræ mandatas) habere in templis & aliis locis, impium quidem per se non sit; sed eas adorare & venerari prorsus sit alienum à fide Christiana, & cum superstitione gentilium congruat. Quare contra Adriani Pontificis & legatorum ejus sententiam decernunt, **IMAGINUM (reliquiarum) CULTUM ET ADORATIONEM**

lib. IV. de **NEM ESSE IMPIAM.** Verba sunt B. Gesneri. Fuere autem Conc. pag. in hac Synodo Episcopi, Sacerdotes, Abbates & Monachi ex 570, 571. omnibus provinciis Caroli, nimirum ex Gallia, Italia & Germania. Plura quidem aliorum conciliorum decreta Bellarminus in subsidium advocavit; sed illa vel nobis non aduersantur, uti illud Concilii Gangrensis decretum, quod *anathema dicit illis* (teste Bellarminò) *qui memorias martyrum, id est loca ubi sunt martyrum exequia, execrantur*, quod nos planè non facimus: vel sunt Synodi quædam particulares, quas in rebus fidei sæpius errasse constat, ut alibi ostenditur. Præterea quoq; nos concilia conciliis opponere possumus, quod alii dudum præstiterunt.

§. 55. Tertiò probatur, inquit Bellarminus, ex Patribus. Affert testimonium plurimorum Patrum, sed nullius, qui prioribus & melioribus post Christum natum Seculis floruerit. Cum verò certum sit, ex Patrum dictis & factis non esse extruendos articulos fidei, sed ex solo verbo DEI, & non pauci quoq; Patres à nostra stent parte, imò nonnulla Patrum testimonia ab ipso Bellarmino adducta nobis non aduersentur, Bellarminus conglomeratis hisce Patrum sententiis (quas quâ fide adduxerit jam non attendo) Scripturæ S. oraculis certis & claris destitutus cum sit, nihil obtinere poterit.

§. 56.

§. 56. *Quartò* pergit Bellarminus, probatur ex miraculis factis ad reliquias, quæ certè non fierent, si DEO cultus reliquiarum non placeret. — *Quintò* probatur ex miraculis, quæ sæpe in ipsis Sanctorum mortuis corporibus cernuntur, per quæ DEUS nos aper-tissimè ad eorum venerationem quasi invitare videtur. Cæterùm quid firmitatis hæc habeant argumenta, & num ex miraculis, etiamsi omnia à suspitione falsi essent libera, quæ vel per reliquias, vel in ipsis martyrum corporibus sunt, edita religio-sus illarum cultus possit concludi, de eo superiùs pro instituti nostri ratione non semel actum est, ut hîc ea repetere nihil prorsus attineat. Taceo, quòd Augustinus, quem itidem te-lib. XXII. stem laudat Bellarminus, de miraculis istis agnoscat, quòd de Civ. Dei non tanta ea commendet autoritas, ut sine difficultate vel dubita-cap. 8. tione credantur, quamvis Christianis fidelibus à fidelibus indi-centur.

§. 57. *Sextò*, verba sunt denuò Bellarmini, probatur ex inventione & revelatione divinitus facta Sanctorum corporum: si enim DEO cultus reliquiarum non placeret, cur ipse servis suis cor-pora Sanctorum, quæ latebant, ostenderet? Sed unde nos confir-mabit Bellarminus, omnes illas Sanctorum corporum reve-lationes divinitus factas esse, nullas verò fuisse diabolicas illusiones? Sanè cum Paulus II. Cor. XI, 14. testetur, quòd II. Cor. XI, ipse Satanæ transfiguretur in angelum lucis, quid mirum, si sub spe- 14. cie revelationis divinæ ipse hominibus imponat? Qua de causa nos fideliter admonuit idem Apostolus Gal. I, 8. Etiamsi Gal. I, 8. nos aut angelus è cælo prædicaverit vobis Evangelium præter id, quod prædicavimus vobis, anathema sit. Quod si omnino reve-lationes tales divinitus esse factas certissimè constet; non-dum tamen sequitur, quod inferre vult Bellarminus: Ergò reliquiæ sunt adorandæ & religiosò cultu afficiendæ: suffice-re enim hîc potest, DEUM hâc revelatione indicare voluif-se, quàm sibi displiceat inhonesta corporum Sanctorum tra-ctatio. Cùm verò Bellarminus hâc suâ argumentatione ex-tra omne ponat dubium, corpora illa Sanctorum ante illa tempora ne quidem cognita, multò verò minùs adorata fuisse, nos argumentum hoc meritò in Adversarium hòc modò retor-

retorqueamus. Quicumq; [cultus primis] post Christum natum seculis non fuit in usu, is neq; hodiernum exerceri debet. Atqui religiosus reliquiarum cultus primis post Christum natum seculis non fuit in usu: cum adeo ignotæ fuerint reliquiae, ut deinceps divinitus, ceu ipse asserit, revelari necesse fuerit. Ergo religiosus reliquiarum cultus neq; hodiernum est exercendus.

§. 58. *Septimò probatur, ad Bellarmini mentem, ex translatione reliquiarum de uno loco ad alium, honoris gratiâ, ab antiquis celebrari solitâ.* Verum ad hoc quoque argumentum quod respondeatur in promptu est. Translationes quidem reliquiarum ex locis ignobilioribus ad sepulchra nobiliora tempore Constantini M. fieri cœpisse, certum est, & quousque hæc consuetudo potuerit tolerari, superius à nobis est indicatum. Sed inde nihil aliud potest inferri, quam honestâ sepulturâ donanda esse Sanctorum corpora; reliquias autem esse adorandas seu religiosè colendas inde non sequitur. Etiam in Veteri Testamento corpora fidelium translata esse constat, sed quòd adorata sint, nusquam apparet. Ineptè igitur Bellarminus à genere ad speciem determinatè argumentatur.

§. 59. *Octavò, addit Cardinalis, probatur ex eo, quòd reliquia sub altaribus reconduntur.* -- Videtur autem ista consuetudo Apostolorum tempore cœpisse: nam ideo Joanni Apoc. VI. ostense sunt in cœlo anima martyrum sub altari, quia corpora eorum in terris sub altaribus requiescunt, ut Augustinus insinuat locò citatò. Porro ad magnum honorem pertinere hunc locum reliquiis assignatum, docent Hieronymus & Augustinus locis notatis, & res ipsa hoc docet. Semper enim altaria in magno honore fuerunt, ita ut etiam suò modò adorarentur: nam Tertullianus libro de Pœnitentia, inter ritus Christianorum ponit, aris DEI adgeniculari. Cæterum in hoc quoq; argumento consequentia laborat à genere ad speciem determinatè concludendo: sit enim ita, magnum esse honorè, si cujus ossa sub altari recondantur, ex eo tamen nemo colliget, eum honorem esse religiosum: quod enim dicit Bellarminus, altaria suò modò adorari, si ita accipiat, quòd adoratio ad ipsum altare terminetur, falsissimum illud est, nec verbis Ter-

Ter-

Tertulliani probatur: quando enim ille inquit, *Christianos aris DEI adgeniculari*, nihil aliud vult, quàm eos ad altaria in genua procidere & non altare sed verum DEUM adorare, externò autem hòc gestu cordis sui erga DEUM submissionem & humilitatem saltim declarare. Quod verò rem ipsam attinet, quòd nimirum corpora martyrum sub altaribus sunt condita, ille quoq; mos non primis, sed sequioribus seculis invaluit; quòd autem Bellarmino ea consuetudo Apostolorum temporibus cœpisse videtur, falsum & absurdum est, cum illò tempore ob persecutiones altaria condere Christianis non fuerit licitum, & plurima martyrum corpora, non diffidente, sed potiùs deprædicante ipsò Bellarminò, non sub altaribus, sed aliis in locis sita, per divinam, si credere fas est, revelationem innotuerint: si enim illa corpora jam tum sub altaribus fuissent sita, in alium locum transferri ea nihil erat necesse. Affert quidem Bellarminus locum ex *Apoc. VI, 9.* sed suam illam consequentiam, quòd sicut animæ piorum apparuerunt sub altari, ita etiam eorum corpora in terris sub altaribus requiescant, quicquid etiam insinuent Augustinus & Hieronymus, nondum probavit, neq; unquam probatam dabit.

§. 60. Nonò, inquit Bellarminus, probatur ex usu cereorum & lampadum, quibus honorantur sacra reliquiæ: nam quòd lumen sit honoris signum, nec sit superstitiosum, lumen accendere ante rem inanimam, etiam sole lucente, patet ex candelabro, quod semper lucebat ante arcam testimonii, *Exodi XXV.* Respondetur, Bellarminus hòc argumentò non probat quod probandum est. Probandum ipsi erat, reliquias posse religiosò cultu affici; at ille nihil nisi hoc, & quidem satis frigidè, probat, cereos & lampades posse coram reliquiis accendi, quæ cereorum & lampadum accensio, si absit superstitio, & commoda intendatur significatio, simpliciter à nobis non damnatur, cum aliquibus in locis sub administrationem cœnæ Dominicæ in nostris quoq; Ecclesiis obtineat. Annon verò sit superstitiosum, coram reliquiis lumen accendere, etiam sole rutilante, alii viderint, Candelabrum tabernaculi id superstitiosum

G

non

non esse non evincit, cum ibi expressum DEI extet mandatum, quò Pontificii tamen in colendis reliquiis destituuntur. Et licet candelabrum semper ante arcam fœderis fuerit præparatum, ut luceret, nemo tamen dixerit, arcam fœderis fuisse religiosò honore affectam: quòd etiam in reliquiarum cultu procederet, etiamsi olim tale quid factum esse certò certius constaret, quamvis in earum honorem cereos esse accensos & S. Scriptura & primorum seculorum Scriptores prorsus taceant.

S. 61. *Decimum & ultimum argumentum sumit Bellarminus ratione ductà ab utili & honesto. Ratio ducta ab utili est apud Chrysostomum in libro de Sancto Babylas Martyre. DEUS enim, ut Chrysostomus ait, nihil ferè utilius ad salutem nobis reliquit Sanctorum reliquiis: nihil enim efficacius representat & insigit in animo memoriam Sanctorum, quàm sepulchrum ipsorum: statim enim atq; videmus sepulchrum alicujus Sancti, recordamur illius, & virtutum ejus, patientia, caritatis, castitatis, pietatis, simul cogitamus, quantà glorià fruatur in celis pro labore brevissimo hujus vite. Nos verò in hoc quoque argumento negamus consequentiam: quòd enim dicit Chrysostomus: DEUS nihil ferè utilius ad salutem nobis reliquit Sanctorum reliquiis, id non est eò accipiendum sensu, quò aliàs Cösterus de reliquiis scribit, quòd habeant etiamnum sanctitatem & vim contactu suo sanctificandi, atque ita salutem conferendi; sed Chrysostomi mens hæc est, quòd sepulchra Sanctorum inter omnia alia, quæ conspecta memoriam Sanctorum in nobis renovant, virtutes illorum, & pietatem in memoriam revocent, & hæc salutari recordatione nos ad simile pietatis studium excitent, atque ita nos in studio pietatis ad constantiam exhortentur, ut non per hæc reliquias aut earum contemplationem, sed per fidem, quæ per charitatem est efficax, perinde ut illi æternæ gloriæ coronam accipiamus. Cæterum quod hoc modò & planè per accidens ad salutem est utile, id non statim est adorandum & religiosò cultu afficiendum: aliàs enim non modò imagines, quòd Pontificii itidem concedunt, sed etiam ipsæ de Sanctorum vita contextæ narrationes essent religiosò cultu honestan-*

Enchir.
cap. 15.

nestan.

nestandæ, quò tamen illorum impudentia nondum processit. Quid quòd ob hanc utilitatem etiam reliquæ pessimorum nebulonum in patibulis & aliis justitiæ locis constitutæ talem honorem mererentur: nam etiam has contemplari est ad salutem utile, cum talibus visis è contrario in memoriam vitiatorum redire, & quàm DEO atque hominibus illa invisæ, quantamque non modò temporalem, sed & æternam, nisi vera subsequatur pœnitentia, pœnam attrahant, considerare utiliter possumus, ut talibus quoque cogitationibus in studio pietatis confirmemur. Eant itaque Pontificii, si volupe est, & si hæc consequentia firma ab iis censetur, furum etiam & aliorum maleficorum reliquias è proximo patibulo pendentes adorent. Agnoscimus autem præterea in hisce Chrysostomi verbis: *DEUS nihil ferè utilius ad salutem nobis reliquit Sanctorum reliquiis*, quandam hyperbolen, quæ ut ad movendos auditores adhibita est, commodè tamen est exponenda: si enim, prout verba citata jacent & sonant, accipiantur, falsa sunt: annon enim verbum DEI, Sacramenta & ipsum Christi meritum ad salutem utiliora sunt, quàm Sanctorum reliquias? *Ratio ducta ab honesto multiplex est Bellarmino.* Verùm nos ineptiarum tantò virò, ut videri vult, prorsus indignarum pertæsi verba ejus referre superfedemus, breviter saltem indicantes, ex iis quoque nullâ consequentiâ posse religiosum reliquiarum cultum statuminari. Id saltim sequitur, reliquias Sanctorum non esse negligendas, aut contumeliosè tractandas, quod cum Nostræ quoque doceant Ecclesiæ, nihil contra nos probavit hætenus Bellarminus. Cujus argumenta pleraque cum & *Vazquez* & alii urgeant, eadem operâ & ipsis responsum esto.

in III.
Thom.
disp. CXII,
c. 2.

§. 62. Transimus nunc à Bellarmino ad Cösterum, qui præter frigiditas, quas etiam Bellarminus habet, rationes & hoc urget, quòd *Sanctos angelos legamus affecisse honore Sanctorum corpora, quorum ministeriò sepultus est Moses, cujus corpus protexit Michaël Angelus, ut Autor est B. Judas Apostolus.* Hic verò Cösterus inscius gladium, quò transfigatur, nobis porrigit, Mitto enim, quòd ille ab honore in genere ad honorem reli-

giosum in scitè etiam argumentetur, audio hìc præterea *ipfos angelos honore affecisse Sanctorum corpora*. Sed quò quæso honore, num religiosò? id quidem asserere non audet Cösterus, & unde confirmet quoque non habet, saltim dicit: *eorum ministeriò sepultus est Moses*; hic autem est ille honor, quem nos reliquiis deberi fatemur, & ut à Pontificiis iisdem exhiberetur, urgemus. Adversariis autem reliquias Sanctorum dudum sepultas inquietare, & è terra denuo eruere, solenne est, quem morem quàm egregiè Cösterus probet, nunc porrò Lector accipe. *Ejus, inquit, corpus protexit Michaël Angelus, ut Autor est B. Judas Apostolus*. Quid hìc quæso causæ fuit, cur Michaël archangelus portegeret corpus Judæ? Duæ sunt hâc de re celebriores sententiæ Autorum: Una eorum, qui existimant, Diabolum voluisse impedire, ne Mosis corpus ob varia ejus peccata sepeliretur; Michaëlem verò restitisse Diabolo, & Mosis corpus ministeriò angelorum esse sepultum: altera verò communior & veritati, ut videtur, magis conveniens, quòd Diabolus voluerit sepulchrum Mosis Israëlitis revelare, ut tali revelatione occasionem idololatriæ illis præberet: sperabat enim fore, ut Israëlitæ corpori tam insignis Prophetæ honorem divinum deferrent, sicut temporis successu serpenti æneo talem honorem detulerunt. Verùm hinc vaferrimis Diaboli machinationibus & callidissimo dolo opposuit se Michaël Archangelus, & sicut DEUS voluit occultum Mosis corpus, ne idololatriæ occasionem præberet: ita etiam Michaël diabolo permittere noluit, ut, quo in loco illud situm esset, Judæis notum faceret. Quamcunque tandem explicationem & sententiam Cösterus arripiat, tantùm abest, ut suorum superiùs adductam consuetudinem exinde probare possit, ut potiùs contrarium colligere in promptu nobis sit: manifestò enim ex hoc quidem factò Michaëlis patet, corporum sanctorum sepulturam, vel non esse impediendam, si priorem sequimur sententiam, vel, si posteriorem arripimus, ossa Sanctorum non esse conturbanda & è sepulchris eruenda ut ad cultum proponantur. Utrumque Cösteri & Pontificiorum sententiæ directè repugnat.

§. 63. Porro arget Cösterus: irrationabiles creatura leguntur Sanctorum corporibus tum viventium, tum defunctorum non raro pepercisse, ut Danielis & Propheta illius inobedientis jussu DEI occisi, trium puerorum in camino ignis, quos ignis non contristavit, neque quicquam molestiae attulit. Haec Cösterus. Nos verò denuò negamus, ex adductis sequi hanc, quam inferre debebat, conclusionem: Ergò reliquiae Sanctorum sunt adorandae & religioso cultu afficiendae. Id, quod nos facile patimur, ex eis tantum sequitur, parcendum esse corporibus Sanctorum, neque inhonestè illa esse tractanda: quod an à Pontificiis observetur, magnam adhuc habet dubitationem: Qui enim ossa alicujus Sancti sepulchrò apertò inde extrahit, in varias dividit particulas, quò plures de illis reliquiis aliquid accipere possint, numquid talis ossibus Sanctorum pepercisse dicendus est? Caveant itaque sibi Adversarii, ne deteriores ipsis bestiis inveniantur, quæ corporibus Sanctorum pepercisse leguntur. Finem nunc facimus egregiis S. Augustini & Cassandri verbis, in quorum sententiam hac in Controversia pedibus imus. Ita enim Augustinus: Non contemnenda & abjicienda sunt corpora defunctorum, maximè justorum atque fidelium, quibus tanquam organis & vasis ad omnia bona opera Sanctus usus est Spiritus. Si enim paterna vestis & annulus, ac si quid hujusmodi, tantò carius est posteris, quantò erga parentes major affectus, nullò modò ipsa spernenda sunt corpora, quæ utique multò familiarius & conjunctius, quàm qualibet indumenta gestamus. — Unde & antiquorum justorum funera officiosè pietate curata sunt, exequia celebrata, & sepultura provisa: ipsique dum viverent, de sepeliendis vel etiam transferendis suis corporibus, filiis mandaverunt. Verùm istae autoritates non hoc admonent, quòd insit ullus cadaveribus sensus, sed ad DEI providentiam, cui placent etiam talia pietatis officia, corpora quoque mortuorum pertinere significant, propter fidem resurrectionis astruendam. Georgius autem Cassander: cum vera, inquit, & comperta reliquiae praesertim in his provinciis perpaucae sint, & multae ex iis, quæ ostentantur, non temerè suspectae haberi possint, atque illorum veneratio **NON MULTUM PIETATI**, liq. in fine.

de civit.
DEI lib. I.
cap. 13.

In consult.
art. XXI, de
vener. re-
liq. in fine.

PLURIMUM verò SUPERSTITIONI vel QUÆSTUI
serviat, multò consultius videtur, ut ab omni reliquiarum ostenta-
tione abstinatur, & populus ad veras sanctorum reliquias colendas,
id est exempla pietatis & virtutum, quæ in scriptis vel ab
ipsis vel de ipsis extant, imitanda provocetur.

Tantum est!

Reliquias alii fictas venerentur, Amice.
Nos magis reliquias veteris probitatis & æqui
In Te suspicimus veras. Deus augeat istas
Reliquias, similesq; tui superesse det almus!

*Eruditiss. Dn. Autori, Convictori suo probo ac mo-
desto de publico eruditionis specimine gratulatur
eumq; bonis omnibus commendat.*

Sebastianus Nieman/ S. Th. D. & Prof. P.

Reliquias quid, Roma, tuas, quas fæda ruinis
Nequicquam Imperio casta Fideque crepas,
Monstrum horrendum, ingens, strepitu exanimata
caduco

Dentilegâq; , nefas! merce beata tibi?
Imperio atque Fide jam Teutonis ora triumphat;
Vix horum est vitiiis umbra relicta tuis.

Quæque superfuerint, divinæ vindice flammæ
Hic rapit, in fumos, in nebulam ire jubens.

Reliquie non Ossa Patrum, Caligæq; Josephi,
Non Lac Virgineum, Caudaq; Calxq; Asini,
Sed Sanctorum exempla sient, pietasque sequestra,
Conscia spes Christi, Vita beata, Deus.

*Prestantissimo & Eruditissimo Dn. Autori Disputationis
Sacra de Reliquiis Sanctorum amicè gratulatus*

f.
Philippus Müllerus, Prof. Publ.

Sanctis

Sanctis reliquiis, nimum queis Roma superbit,
 Quis sit conveniens cultus, Amice, doces.
 Asseris ergo DEO proprium, quem poscit, honorem,
 Nec tamen in Sanctos quæ graviora refers.
 Hinc DEUS omnipotens in Te sua dona coronat,
 Atque Tuis Studiis commoda digna dabit.

*Hiscæ Præstantissimo atque Eruditissimo DN. ALL-
 TORI, populari, contubernali atq; amico suo
 è paucis charissimo atque certissimo gratulari
 voluit, debuit*

ANDREAS Reinbeck / Lunæburgensis.

Madrigal.

In dem Ihr / werther Freund /
 Der Menschen hohen Hügel
 Mit Gottes Wort gerüst bestieg't
 Und männlich uns der Heiligen Körper Ehre zeig't
 Zu Troß des welschen Jupiters Gefügel;
 So mach't ihr kund der Päpster arge List /
 Und thut was lobens würdig ist.
 Denn so soll man verehren
 Der Mär'ter blassen Leib /
 Daß nur zu Ihrem Gott wir unsre bitte kehren.

Hieron. contr.

Vigil. T. 2. p. 119.

Dieses setze in höchster Eil
 hinzu

THOMAS von Aussen aus Söllen am Rhein bürtig.

Reliquias, cineres, rarum ac memorabile pignus,
 Sacrorum Antistes nota jam callidus arte,
 Ut curare cutem possit fanaticus ille,
 Exponit, jactans quòd mille pericula pellant
 En habitum, vestes, populo mirante, perorat !
 Illuc heu miseri currunt, sequiturque maritum
 Languida vel præghans & circumducitur uxor,
 Votaque, qui vultu morbum incessuque fatentur,
 Ponunt, & nondum quæ rident ære lavati,

Vera

Vera putant. Habeat jam Tu quem Roma pudorem
Declaras, atq; hinc laudem nomenq; parabis.

*Hisce Praeximio atq; literatissimo Dn. Autori con-
terraneo ac consalino suo pl. dilecto
gratulabatur*

H. SCHRÖDER.

Reliquias Sancti populus dignatur honore
Divinô, cultus immemor ecce Dei;
Sic ubi mens abiit, tenuesq; recessit in auras,
Solamen certum vestis & ossa manent.

Altiùs aut reputans tam falsum ac futile dogma
Pontificis, scripto destruis hocce bono.

Comiter hinc Musæ plaudunt; hinc munera Phœbi
Splendida mox capias, mente favente precor!

*Hisce Pra-Eximio atq; Doctissimo Dn. Autori,
Populari & Amico suo singulariter honorando
gratulari debuit, voluit*

JOHANNES VOGT,
LUNÆBURGENSIS.

Dum nobis vetito de cultu reliquiarum
Hasce facis doctas reliquias reliquas,
Nil aliud nisi cara tui monumenta relinquis
Ingenii, nullô disperitura die.

*Cui plura debebam, Pra-eximio atque Clarè-
docto Dn. Auctori- Respondenti, suo ex asse
Amico & Fautori plurimum honorando
paucula hæc LM Q. scribebam*

DIETERICUS Lüders/ Stadenfis.

F I N I S.

